VITA,

ET ANTIQUA MONIMENTA

SANCTI PARDI

EPISCOPI, ET CONFESSORIS

In Cathedrali Templo Larinensi quiescentis,

COMMENTARIO,

Et Animadversionibus Criticis illustrata

A' JOANNE BAPTISTA POLLIDORO:

IN IIS AGITUR ETIAM

DE

SS. PRIMIANO, FIRMIANO, ET CASTO

FRATRIBUS LARINI MARTYRIO FUNCTIS:

Accedit Appendix complectens Memorias

S. LEONIS CONFESSORIS

Apud Larinates Miraculis Clari,

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum

D. JOANNEM ANDREAM TRIA

EPISCOPUM LARINATUM.



ROMÆ, MDCCXLI.

Typis Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM FACULTATE.

Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino

D. JOANNI ANDREÆ TRIA

EPISCOPO LARINATUM.




Joannes Baptista Pollidorus

P. F.



Itam, & Acta S. PARDI Episcopi, & Confessoris: itemque Antiqua Monimenta SS. PRIMIANI, FIRMIANI, & CASTI Martyrum: nec non S. LEONIS Confessoris jussu tuo, Præses Illustrissime, mecum communicata, maturè legi: tùm in examen vocavi, ac majori, qua licuit, cura illustrare studui, ne quid nego-

tii tot graves difficultates propositæ erudito Lectori deinceps facessant. Hunc qualemcumque laborem meum, ad Te mitto, ut, qua præstas, Judicii acrimonia expendas; tuaque selecta eruditione, & antiquarum rerum peritia, ubi oportuerit, emendes, immutes, minuas, augeas. Id demum lumen, & pondus Commentario impertias, quod Auctor tantis destitutus opibus tribuere non potuit. Quam illi à Te apprecor, indepta perfectionem opella, locupletandæ, & ornandæ Historiæ Ecclesiæ tuæ, in quam totus incumbis, non parùm prodesse poterit. Sententiam de illis meam postulasti: Imperanti morem gessi. Qua felicitate, tuum erit inquirere, atque decernere. Non itaque, Præsul Illustrissime, benè actæ rei laudem, sed impensi obsequii comprobationem flagito. Hoc autem nomine, si opus libenter excipias, ingentem exigui laboris fructum retulisse sentiam. Anxani Frentanorum XIV. Kalendas Septembris MDCCXL.



JOAN-

JOHANNES ANDREAS
EPISCOPUS LARINATUM.

JOHANNI BAPTISTÆ POLLIDORO
Viro Clarissimo.

S. P. D.



UAM ad me misisti de vita, & actis S. PARDI Episcopi: nec non de Antiquis Monimentis SS. PRIMIANI, FIRMIANI, & CASTI Martyrum: itemque S. LEONIS Confessoris; lucubrationem, æquo, gratoque animo me perlegisse fateor. Eam namque eruditione refertam, sermonis elegantia perscriptam, ac demum Historiæ lumine præstantem comperi. Et revera nil poterat à Te in Literis, doctrinisque claro Viro, nisi magnum aliquid, & communi omnium plausu excipiendum proficisci. In qua quidem re Fratris tui Petri Pollidori præstantissimi Viri, ac de Republica Literaria optimemeriti, laudem assecutus propemodum videris. Nihil itaque est, quod judicium meum exquiras. Ast quia ad id modestia tua me compellit, proferam. Nempe, ne publica luce hoc Opusculum tuum diutiùs careat, si iis, ad quos id de jure spectat, videbitur, quàmocyssimè imprimi curabo. Romæ Idibus Februarii MDCCXLI.

APPROBATIO.

VItam S. Pardi Episcopi, & antiqua Monimenta SS. Primiani, Firmiani, & Casti Martyrum, nec non & S. Leonis Confessoris, ab Erudito Viro Joanne Baptista Pollidoro ex Manuscriptorum fide recognita, & animadversionibus Criticis aucta, vidi, expendique perquàm libenter. Cumque vel minus Catholicum, vel à bonis moribus abhorrens nihil offenderim, imo singula maturè, accuratèque expensa, & non minus ad Sanctorum eorumdem memoriam, quàm ad Ecclesiasticorum Annalium Historiam illustrandam maximè conducentia animadverterim; dignum proterea publica luce Opus judico, si ei, cujus mandatis obtemperans hæc pro veritate testor, ita videbitur &c. Romæ hac die IX. Martii MDCCXLI.

Ludovicus de Valentibus Protonotarius Apostolicus, S. Generalis Inquisitionis Consultor, & S. Fidei Promotor.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii Apost.

Ph. Spada Arch. Theodosiæ Vicesg.

IMPRIMATUR.
Fr. Nicolaus Ridolfi Sac. Palatii Apost. Mag. Ord. Prædicatorum.

INDEX

INDEX
MONIMENTORUM.

SY-

SYNOPSIS,

Et Argumenta Capitum

Commentarii, & Animadversionum Criticarum, ad Vitam S. Pardi Episcopi, & Confessoris.

APPENDIX.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

SAnctorum hominum vitas, & acta à Majoribus nostris mandata literis identidem legere, ac meditari, non modo jucunditatem piorum animis affert, verùm etiam utilitatem plurimam. Quò illa antiquiora sunt, eò ferè solent esse simpliciora, & quo rudiore sermone narrantur, eô à fallaciis, & mendacio magis aliena. Horum numero Vitam, & Acta Sancti PARDI meritò accenseo: quæ licet non pervetusta, suum tamen habent pretium, & ab historicæ veritatis candore commendantur. Multæ quidem, & graves difficultates sese obijciunt, quibus prima fronte videntur obnoxiæ. Sed res traditæ penitùs expensæ, & cum antiquis collatæ Scriptoribus ambages universas discutiunt, &

nativa

nativa ſimplicitate nitidiùs emicant. Ut id fiat apertum, præſenti Commentario enitemur. Præcipua verò hiſtoriæ capita, quæ negotium ingerunt, eo ordine expendemus, & animadverſionibus criticis illuſtrabimus, quem ratio exigit, atque ipſa Scriptoris enarratio legenti obiicit.

Ut magis, magiſque perſpicuæ res fiant, exceptas ex antiquis, & MSS. Codicibus tanti Epiſcopi Vitas præmittemus. Neque tantùm S. PARDI *vitam, & acta, verùm etiam Sanctorum Martyrum* Primiani, Firmiani, *&* Casti *Fratrum, quorum luculentam, ejus* Hiſtoria, *mentionem exhibet, Monumenta, temporum injuriis, atque edacitatis ſubtracta inveſtigare, ac recenſere curabimus. Poſtremo, Appendicis loco, quas hactenus reperire licuit,* S. LEONIS *Sacerdotis, & Confeſſoris memorias attexemus, ut hac etiam in parte Eccleſiaſticæ Larinatum conſulamus Hiſtoriæ.*



VITA

VITA BREVIOR
SANCTI PARDI
Epiſcopi, & Confeſſoris.

AUCTORE ANONYMO,

Ex antiquo *Libro Sanctorali* Eccleſiæ Larinenſis collato cum aliis MSS. Codicibus, & Vaticano ſignato Num. 5834.

Incipit Vita S. PARDI *Epiſcopi, & Confeſſoris cujus Translatio celebratur* VII. *Kal. Junii: Natalis verò* XVI. *Kal. Novemb.*



EATUS PARDUS Epiſcopus merito, virtutum DEO acceptus, dum in Peloponneſo Gregem ſuum verbo, & exemplo fructificando paſceret, vitia peccatorum aſſiduè increpabat: oſtendens illis viam ſalutis, & veritatis. Propter quod ab iniquis odio habitus violenter expulſus fuit. Beatus tamen PARDUS injurias impiorum propter Chriſtum patienter ferebat: & licet eſſet ſenio laſſa-

tus, & morbis cruciatus in corpore, cum aliquibus Clericis relicta Ecclesia sua Peloponnesii, peregrinando ivit Romam. Postmodum permittente beatissimo Pontifice cum Sancto Concilio, simul cum sociis ivit in Apuliam: invenitque ibi locum aptum sui desiderii, & applicuit in Suburbanum opulentissimæ Luceriæ, in qua duas Ecclesias miræ magnitudinis hærentes muro Civitatis ædificavit, & in Cellula ibidem degens per plures annos, afflictus multis vigiliis, & inediis, simulque intendens orationibus Deo animam reddidit. Post ejus excessum meritis Accolarum permisit Omnipotens flagellari eos maximis plagis etiam, & totam Apuliam depopulari; quia tunc egressus Imperator Augustus Constantinus de sua Urbe cum magno exercitu transfretavit maria, veniensque Tarentum lata arva implens suo exercitu: Itemque surgens totam Apuliam vastavit, & depredatus est: unde Luceriam adiens acerrimè dimicari jussit, & diversis machinis apponi, quandiu caperetur, captam verò usque ad solum prostravit, & exusta igni, omnem Populum, qui priùs, & non fugerat in captivitatem posuit, & insatiatus adhuc scelere castrametatus est juxta ditissimam Beneventum, in qua Romualdus Princeps cum SSm̃o Sacerdote *Barbato*, & paucis Longobardis morabatur, quam circum-

circumseptam prædonibus, & innumerabili exercitu machinas apposuit, sed Dominus Omnipotens meritis, & oratione S. BARBATI, enervavit vires militum, sicque vanus, vacuusque transiit, tantùm acceptis obsidiis. Deindè Neapolim ingressus in suos paulò post fines rediit. Lucerinus autem Episcopus, qui antequam Civitas obsideretur sua egressus Diœcesi, latenter fugerat cum suis Clericis in quandam Apuleæ partem, condidit Oppidum nomine *Lisinam*, in quo moratus est per multos annos, sed postquam Deus permisit flagellari Ausoniam Barbarorum gladiis, ingressi sunt Agareni, & latè eam depopulantes, magno cum impetu venerunt *Larinum*, quam destruentes, Habitatores ipsius gladiis occiderunt. Postea tamen, quia Habitatoribus carebat ipsa depopulata Civitas, ierunt Habitatores de Oppido *Lesina*, illincque furtim tulerunt duo Corpora SS. PRIMIANI, & FIRMIANI ibi quiescientium, & duxerunt *Lisinam*. Cum autem homines *Larinenses* huc, illucque discurrent per agros, invenerunt sepulchra Sanctorum effossa, & Corpora ablata; in magno igitur mærore positi, & diutius lamentantes, suis indicant Civibus, quibus adunatis sollicitius consulunt, & per plura loca indagantur, ut Sanctorum pignora, à quibus Piratis sint delata in lucem perduceret Dominus Omnipo-

 tens.

tens. Qui, comperto, quod homines de Oppido *Lisina* rapuissent, omnes se armis præparantes, properarunt *Luceriam*, quam circumeuntes pervenerunt ad sepulchrum S. PARDI Confessoris, & Episcopi, quod effodientes, repererunt Sacrum Corpus intactum, minus tantùm uno pollice, quod cum gaudio elevantes, dignis linteaminibus involutum, ac Thimiamatibus præcedentibus, cum hymnis, & canticis itinere arrepto properaverunt *Larinum*, ingredientesque Civitatem Larini, Sacrum Corpus B. PARDI Episcopi posuerunt in Ecclesia S. DEI Genitricis, & Virginis MARIAE, usque quo sibi dignam fabricarent Ecclesiam. In qua non post multos dies positus, Omnipotens Dominus suis fidelibus multa beneficia præstat per eum usque ad hodiernam diem. Tempore autem, quo Dominus permisit flagellari Italos pro suis iniquitatibus flagellis Paganorum, ingressi Unghari Esperiam, omnes Christicolas, quotquot obvios habuerunt, ut hostes necaverunt, & mænia subvertentes Urbium munitissimarum, ac depopulantes Provincias pervenerunt *Larinum*, quam graviter oppugnantes depredati sunt usque ad internicionem. Sed cum vellent reverti cum spoliis, & captivis in sua Castra, orantibus Civibus ad Tumulum Beatissimi PARDI Episcopi, ut, & eos liberaret, & captivos

vos ſolveret, tantam confuſionem contulit eis, ut tremebundi fugerint in ſua tentoria, & homines, ac beſtias, & univerſa ſpolia relinquentes, quaſi magna militum manu cogerentur, ſic ocius fugiebant; captivi verò ad Civitatem reverſi, cum ſalute glorificabant Dominum, & Sanctum Pardum Confeſſorem, & Epiſcopum, cujus precibus ab hoſtium manibus liberari merebantur. Alio autem tempore impetum facientes Unghari, cæperunt ipſam Civitatem, & expoliantes eam, venerunt ad Eccleſiam, ubi tumulatus erat S. Pardus Epiſcopus, juxta cujus tumulum latebant quidam Guido Presbyter, cum quadam vetula, ac parvo puerulo, & expoliantes ipſam Eccleſiam omnibus bonis, ſic cæcati ſunt meritis S. Pardi Epiſcopi, ut nec viderent, nec contigerent latitantes. Etiam Cæci, Dœmoniaci, Paralitici virtute Sancti Epiſcopi, & præcibus uſque hodiè ſanitatem ſuſcipiunt humiliter, & devotè petentes: ad laudem, & gloriam Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen*.

PRO-

PROLIXIOR VITA
S. PARDI EPISCOPI.

Auctore Radoyno Levita Ecclesiæ Larinen. ex Codice M S. Boviensi.

PROLOGUS.

I. AD Salvatoris magnificentiam, laudemque totius Ecclesiæ, opere pretium credimus fore, si triumphos Confessorum, atque Pontificum Christi, & coronas certaminum annotamus. Ast si antiquæ oblivioni vetustas silentio deprimatur; non dubium est, eos non carere culpa invidiæ, qui acceptum munus Dominici talenti, non ad utilitatem Christianorum Fidelium; sed sæculari studio torpente lingua impertiri maluerunt. Quum Gentiles Poetæ inani studio dediti priscorum Infidelium facta, Virorum figmentis suorum carminum, toto orbe diffamari studuerint, quum accuratius foret Illustribus Viris, celeberrimum agonem istius Beatissimi Pontificis ad memoriam ducere, & mentes Fidelium exemplo illius certaminis pia devotione solidare. Dum autem felicitates istius SSmi Pardi Confessoris, atque Pontificis releguntur, corda audientium despectis Sæcularibus

cularibus negociis, toto conamine, amore cœlestis Patriæ inardescunt, & illuc festinare desiderant, ubi remuneratoris certaminum sine fine regna percipiant. Ad hæc mihi placuit scribere omnibus spiritualibus fratribus, audientibus, vel videntibus palmam istius faustissimi Agonistæ, qualiter agonizaverit contraomnia carnalia vitia, & quam acerrimè contra suum Palestritem diabolum luctaverit, ut glorificent Dominum, misericordemque Patrem, qui sibi adhærentibus victricia arma confert, & salvos facit sperantes in se.

II. Nunc autem divino fretus nutu, sanctissimis vestris orationibus adiutus, istius Sanctissimi Patris Pardi Confessoris, atque Pontificis vitam, & meritum enucleatius exarari aggrediar, ut haurientes corporalibus auribus ejus Sanctissima facta, internorum viscera referta dulcedine, mellito gutture indesinenter eructent. Sed quod iste Confessor, atque Pontifex S. Pardus peregrè profectus sit; in serie istius opusculi historialiter enarramus. Quumque hic Sanctus intelligendo, & operando aliis prædicasset: quasi duplicatum de negotio lucrum reduxit. Servus verò, qui geminata talenta retulit, à Domino laudatur, atque ad æternam remunerationem reducitur, quum ei voce Domini diciitur: *Euge Serve bone,*

ve bone, & fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Sed tunc fidelis Servus supra multa constituitur, quando devitata omnis corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa Cœlesti Sede gloriatur. Tunc ad Domini sui gaudium perfectè intromittitur, quando in æterna illa patria assumptus, atque Angelorum cœtibus admixtus; sic interiùs gaudet de munere, ut non sit jam, quod exterius doleat de corruptione: nam, & de pigro servo scriptum est: *Tollite ei talentum, & date ei, qui decem talenta habet*; ubi etiam mox sententia subinfertur, qua dicitur: *omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo*.

III. Undè necesse est, fratres mei, ut supra omne, quod agitis erga charitatis custodiam vigiletis. Vera autem charitas est & inimicum amare propter Dominum, & amicum diligere in Deum, quia, qui non habet charitatem, omne bonum ammittet. Hic autem Venerabilis Vir, atque omnium ore canendus, in quo, & vera confessio fuit in verbis, & triumphus in virtute Sanctitatis. Tantæ charitatis, & Sanctitatis extitit, ut dum æmuli sui eum expellere conarentur propter suam Sanctissimam prædicationem, & propter divinum semen, quod anxiè cupiebat serere

rere in mentibus eorum, & ſpinas impietatis evellere, etiam ſpontè ceſſiſſet odiis iniquiſſimæ ſuæ plebis, ut eam lucraretur. Dominus ipſe ad tempus, locum dedit iræ: ut ora balbutientium Canum obſtruerentur, & in tempore ipſe cum fructu veniret. Sed minimè ei conceſſum eſt, eo quod plures præſciti eſſent ad interitum perditionis. Sed nunc, qua occaſione, vel quibus precibus iſtius Sanctiſſimi Viri Confeſſoris, & Epiſcopi Pardi Vitam comere exorſus ſum, evidenter audite.

IV. Quum quietus eſſem ego *Radoynus* peccator, & indignus Levita in Dei ſervitio, nullis ventorum flatibus præpeditus, ſed contemplative divinis præcinctus orationibus, comminus aſtitit ante me quædam Chriſti famula Mirata nomine, obſecrans cum lacrymis provoluta pedibus, caputque ſolo inhærens, ut iſtius clariſſimi Viri actus exararem, ut, & præſentibus gaudium foret, & futuris accomodaret Paradiſiacum quæſtum. Sed dum me ineruditum conſpicerem, & divinarum altitudinum veraciter neſcium auribus audiens voces illius in penetralibus cordis haud inhærere, ſivè propter importabile pondus, & quia iſtius Sanctiſſimi Pardi merita, etiamſi adeſſet Maronis profuſa loquacitas, numquam valeret exponere, vel ſeriatim comere. Sed vi-

ctus precibus, & lacrymis ipsius clarissimæ mulieris, non causa temeritatis, aut jactantiæ, adjutus precibus istius Confessoris Sanctissimi Pardi exorsus sum edere ea, quæ de tanto clarissimo viro mihi possibilia, & vestræ memoriæ accomodata fuere, ut ad ædificationem Animarum omnibus proficuum, & notissimum esset.

HISTORIA VITÆ, ET TRANSLATIONIS.

V. Hic autem prædictus Pontifex venerandus Pardus fuit de Civitate Poliponniso; & quia suæ Dioecesеos omnes cultores per abrupta currebant, propriam sequentes voluntatem, cœpit eos alloqui, & divinæ sermone prædicationis eos confundere, quatenus à pestifero errore eos auferre potuisset. Illi autem ægre ferentes suam prædicationem, nequitius, & cum dedecore expulerunt eum à suo Episcopatu, judaico more dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*; & quanto plus verba veritatis attentius prædicabat, tanto plus corda pravorum hominum, more nitri

ad

ad pejus ſcaturiebant. Unde, & Salamon ait: *Qui mittit acetum in nitro, ſic eſt, qui cantat carmina cordi peſſimo*. Expulſus autem è Civitate, cum aliquantis Clericis venit Romam cum magno merore ad *Apoſtolicum*, qui illis diebus præerat ipſius Cathedræ, quem ipſe Venerabilis Papa Cornelius cum Clericis ſuis honorificè ſuſcipiens, ac blandè conſolans, ſufficientia ſibi juſſit accommodari ſtipendia,& hoſpitia. Inſuper, & locum habere in Urbe: per Spiritum Sanctum cognoſcens, quam magnæ virtutis eſſet vir ille, qui adventaverat.

VI. Sed poſtquam ejus fatigata membra refocillata ſunt, & aliquantiſper receperunt vires, caſus, & geſta ſuarum ovium cum luctu magno retulit in auribus Summi Pontificis, ut conſuleret ei Beatus Papa Cornelius, quid indè faceret de ſuo Epiſcopatu, vel qualiter extra ſuam Parochiam, quamvis invitus, degendo, peregrinaretur. Cui præfatus Papa ait: *noli, fili, dies tuos mœrore conſumere, ſed habeto noſtrum ſolamen; in proximo enim Dominus nobis, & tibi dabit ſuum Conſilium*. Poſt non multos verò dies: Cives ſui ad limina Apoſtolorum venientes, indagare ſtuduerunt, ſi ſuus Paſtor illic adveniſſet. Quem anxiè in urbe, & in ſuburbanis quærentes, jam beluina feritate depoſita, repererunt eum divinis orationibus vacare, & apud Papam in ur-

be morari. Ad quem cum magno luctu, & instantia precum accedentes, oppidò deprecabantur, ut ad propriam Sedem reverteretur. Quorum preces, quia senio, & valetudine fatigabatur, flocci pendens, Summi Pontificis, & Sancti Concilii roboratus consilio, licentiam dedit eis alium intronizare in sua Sede, ut se vestigiis Summi Pontificis adjunctum, in urbe linquerent commansurum. Quam jussionem, quamvis cum moerore suscipientes, accepto consilio elegerunt Pontificem, & sic ad propria cum ingenti tristitia repedaverunt.

VII. Hic autem prædictus Pontifex B. PARDUS postquam sui Cives regressi sunt ad propria, expetivit à Papa, ut sibi locum annueret commanendi Apuliæ, ubi, & suas calamitates lugubri officio defleret instantius: quam petitionem Summus Pontifex cum gaudio perficiens, & quia locum invenerat suum implendi desiderium, sodales etiam cum petitione attribuit. At ille compos voti effectus, stipatus magnis catervis, & Sanctissimis Turmis venit Apuliam, inveniensque ibi locum aptum sui desiderii, applicuit in suburbano opulentissimæ Luceriæ. In quod ingressus, miræ magnitudinis & pulchritudinis ædificari jussit duas Ecclesias hærentes muro civitatis, in quibus DEO servivit tempora plura, & erga

quas

quas parvissimam, & arctissimam cellulam sibi fieri præcepit, in qua per plures annos degens, afflictus multis vigiliis, & inediis, simulque orationibus, DEO animam reddidit.

VIII. Post cujus excessum meritis Accolarum permisit Omnipotens flagellari eos plagis maximis, etiam, & totam Apuliam depopulari; quia tunc egressus Imperator Augustus Constantinus de sua Urbe cum magno exercitu, transfretavit maria, veniensque Tarantum, lata arva implevit suo exercitu. Concitè autem indè surgens cum suo apparatu totam Apuliam vastavit, atque prædatus est. Indè Luceriam adiens, acerrimè dimicari jussit, & diversas machinas apponi, quamdiu caperetur: captam verò usque ad solum jussit prosterni, & exusta igni, omnem Populum, qui prius non fugerat in captivitatem mitti. Alacer autem Augustus redditus de victoria suorum, insatiatus adhuc scelere, præcepit amoveri castra, & ocius erga mœnia olim ditissimæ Urbis Beneventi castrametari: in qua *Romualdus* Princeps cum Sanctissimo Sacerdote *Barbato*, & paucis, ac validissimis Longobardis morabatur. Qua circumsepta prædonibus, ac innumerabili exercitu, novas machinas apponi præcepit, ut dolo, aut virtute caperetur: sed Dominus Omnipotens meritis, & oratione *B. Barbati*

bati enervavit vires militum; & ſic demum, Auguſtus, vanus, & vacuus receſſit, tantum acceptis obſidiis; indè pervolat, Neapolimque ingreſſus, & velivolum mare appetens, ſuos adiit fines.

IX. Lucerinus autem Epiſcopus, qui antequam caperetur ſua Diœceſis, latenter fugerat cum ſuis Clericis in aliquam partem Apuliæ: condidit Oppidum nomine *Leſinam*, in quo, & moratus eſt per annos non exiguos. Sed poſtquam Dominus permiſit flagellari Auſoniam Barbarorum gladiis, ſunt ingreſſi Agareni, & latè eam depopulantes, magno cum impetu venerunt *Larinum*, quam deſtruentes, Habitatores ipſius gladiis occiderunt. Poſt hæc verò, quia Habitatoribus carebat ipſa depopulata Civitas, ierunt Habitatores de Oppido *Leſinæ*. Illucque furtim tulerunt duo Corpora SS. PRIMIANI, & FIRMIANI, ibi quieſcentium, & duxerunt *Leſinam*: Quum autem Homines *Larinenſes* hac, illacque diſcurrerent per agros, invenerunt ſepulchra Sanctorum effoſſa, & Corpora ablata; in magno itaque mœrore poſiti, & diutiùs lamentantes ſuis indicant Concivibus, quibus adunatis ſollicitius conſulunt, & per plura loca indagantur, ut Sanctorum pignora, a quibus Piratis ſunt delata in lucem perduceret Dominus Omnipotens.

X. Quo

X. Quo comperto, quod homines de Oppido *Lesinæ* rapuissent, omnes se in armis properantes, properarunt *Luceriam*; quam circumientes pervenerunt ad Sepulcrum S. Pardi Confessoris, & Episcopi, quod effodientes, repererunt Sanctum Corpus intactum, minus tantùm uno pollice, quod cum gaudio elevantes, dignis linteaminibus involutum, ac thimiamatibus præcedentibus, & faculis coruscantibus, cum hymnis, & canticis itinere arrepto, cœperunt properare *Larinum*. Sed antequam propinquasset portæ Civitatis, Vectores ipsius S. Pignoris substiterunt, non valentes incedere, Divina Clementia talia operante. Quumque omnes, qui ad S. Corporis obsequium confluxerant, hoc cernentes, tenerentur attoniti de tanto miraculo, cœperunt flere, & solotenus conquiescentes, & ubertim genas madefacientes: prostrati ante S. Corpus has voces cum prece, & magnis promissionibus emittebant: *O SS. Præsul*, *B.* Pardb, *qui*, *& Cæcos videre fecisti*, *& Surdos audire*, *claudosque ambulare*, *Paraliticos contractare*, *Juvenes nervorum dissolutione laborantes in pristinum sanos reduxisti*, *obsessos ab immundis Spiritibus non solum præce*, *sed interdum etiam potestate sanasti*: *adesto nunc afflictis Reliquiis Larinensium*, *& concede*, *ut infra mœnia istius Civitatis intromissum*, *te merea-*

mur

mur habere protectorem, & defensorem, non solum Corporum, sed etiam animarum, ut sicut reliquæ Civitates tripudiant, & extolluntur in suis Sanctis Protectoribus, sic, & nos gaudeamus Te habentes gubernatorem: Ad has preces, & lacrymas B. Pardus Confessor, & Pontifex divino munere motus: & gressus redidit hominum, & prosperum iter eundi ad Civitatem, ut, & ipsi gauderent se exauditos, & ipse ibi quiescere in loco sibi a Domino præparato. Tunc omnes Vectores, & obsecutores ipsius sancti Pignoris elevantes illud cum hymnis, & canticis, & omni honore, introduxerunt in *Larinensem* Civitatem Corpus B. Pardi Episcopi, & Confessoris, & posuerunt eum in Ecclesiam S. Dei Genetricis, & Virginis Mariæ, usquequo sibi dignam fabricarent Ecclesiam, in qua poneretur. In qua non post multos dies positus est, & Omnipotens Dominus suis Fidelibus multa beneficia præstat per eum usque in hodiernum diem.

XI. Tempore autem quodam, quo Dominus permisit flagellari Italos pro suis iniquitatibus flagellis Paganorum, ingressi Ungari Esperiam, omnes Christicolas quotquot obvios habuerunt, ut hostes, secundum suum posse necaverunt, & mænia subvertentes urbium munitissimarum, ac depopulantes Provincias pervenerunt


Lari-

Larinum. Quam graviter oppugnantes deprædati sunt usque ad internicionem. Sed quum vellent reverti cum spoliis, & captivis in sua castra, orantibus civibus ad tumulum Beatissimi Pardi Episcopi, ut & eos liberaret, & captivos solveret: tantam confusionem contulit eis, ut tremebundi fugerint in suis tentoriis, & homines, ac bestias, & universa spolia relinquentes, quasi magna militum manu cogerentur, sic ociùs fugiebant. Captivi verò ad civitatem reversi jam soluti, glorificabant Dominum, & S. Pardum Confessorem, & Episcopum, cujus precibus ab hostium manibus liberari merebantur.

XII. Alio autem tempore impetum facientes Ungari, cæperunt ipsam civitatem, & exspoliantes eam venerunt ad Ecclesiam, ubi tumulatus erat B. Pardus Episcopus, erga cujus tumulum latebat quidam Guido Presbyter cum quadam Vetula, ac parvo puerulo, & exspoliantes dictam Ecclesiam omnibus bonis, sic cæcati sunt meritis B. Pardi Episcopi, ut nec viderent, nec contingerent latitantes. Post non multos annos quædam cæca venit ad sepulchrum ejus, misericordiam petens, ut lumen reciperet, & statim eo operante consecuta est illuminationem. O quanti cæci, quanti dæmoniaci, quanti paralitici susceperunt sanitatem ad sepulchrum ejus, & usque

 hodie

hodie ſuſcipiunt humiliter, & devotè petentes! Fuit enim hic Paſtor pius, & miſericors, humilis & benignus; nullum ſpernens, nullum deſpiciens, omnibus tribuebat, & omnibus indulgebat, animabat trepidos, mitigabat violentos.



COM-

COMMENTARIUS, ET ANIMADVERSIONES CRITICÆ AD VITAM, ET ACTA S. PARDI EPISCOPI, LARINATUM PATRONI PRINCIPALIS: IN QUIBUS AGITUR ETIAM DE SS. PRIMIANO, FIRMIANO, ET CASTO FRATRIBUS, LARINI MARTYRIO FUNCTIS.

CAPUT I.

Duplex Vita S. PARDI. *Quæ brevior, ac sine Prologo antiquior est, ac primigenia, scripta decimo exeunte Jesu Christi Seculo. Radoynus paullò post vitam ipsam fusiori calamo enarravit; nonnullis additis. Utriusque Opellæ discrimen aperitur, & judicium.*

I. DUplex antiquis excepta Codibus mss. circumfertur Vita *S. Pardi*: alia brevior sine prologo, Auctore Anonymo, cujus initium: *Beatus Pardus Episcopus merito virtutum Deo acceptus*; desinit autem: *Cæci etiam, Dæmoniaci, Paralitici virtute S. Episcopi, & precibus usque hodie sanitatem suscipiunt humiliter, & devotè petentes, ad laudem, & gloriam Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Hujus vitæ exemplaria exarata decimo

exeunte, atque undecimo Christianæ salutis seculo, quum variis in locis, præsertim verò in nostratum, ac finitimis regionibus occurrant, Auctor decimo Christi seculo vixisse videtur. Neque stylus, & res narratæ quidquam obiiciunt, quod aliter viros criticos sentire cogat.

II. Hæc unice vita est, quæ utpote antiquior, & graviorem Scriptorem nacta, licet Anonymum, communi usui comprobata, inter divina quoque Officia ab Larinate, aliisque Ecclesiis, olim è ritu sacro lecta est, recurrente festo die S. Pardi, ut veteres *Libri Sanctorales*, *&* *lectionarii de Vitis Sanctorum* ostendunt.

III. Quæ heic exhibetur, sumta est ex antiquo *Libro Sanctorali* Larinatis Ecclesiæ, unde sub annum reparatæ salutis MCDXC. descriptum fuit in optimæ notæ codice Bibliothecæ Marchionum Histoniensium. Eadem omninò legitur in *Lectionario Vitarum Sanctorum* quod XI. Jesu Christi seculo inter divina officia usui erat Monachis Ordinis S. Benedicti in celeberrimo Monasterio S. Joannis in Venere in *Frentanis*. Ipsam itèm habet Vaticanæ Bibliothecæ codex M S. signatus numero 5834. deest tamen in eo principium, usque ad verba: *relicta Ecclesia sua Peloponnesii*; quod fortè temporum, vel hominum injuriis desiderabatur in veteri Codice Canusinæ Ecclesiæ, unde Vaticanum exemplum sumtum est. In hoc Codice nonnulla, & alicubi verba desunt, alibi perperam exprimuntur. Ita tamen, ut nullo ferè negotio prudens Lector defectum, vel errorem agnoscat.

IV. Vita proxilior cum Prologo, petente *Mirata Matrona*, paullo post à *Radoyno*, sive *Rodonio*, ut in Bovini Codice legitur, *Larinensis* Ecclesiæ Levita scripta est: nonnullis additis, quæ ex majorum traditione acceperat, quum alia penè quæcumque in breviori Vita

tradita

tradita invenerat, in suum Commentarium fere ad verbum transtulerit, longe alio usus, ipse, loquendi genere. Non ita tamen feliciter opus absolvit, quin aliquando curæ minus exactæ, vel ineptæ amplificationis, & interpolationis notam fugiat. Primæ labis exempla in designando S. Pardi Episcopatu, & discessu Constantis Imperatoris ex Italia suo loco indicabimus. Aliud vitium facile quisque deprehendet, si alteram cum altera narratione conferat.

V. De utraque Vita *S. Pardi* loquens Henschenius in Commentario prævio num. 2. alteram ex altera contractam censuit: non animadvertens, duas longe diversas opellas esse, & illam primigeniam, & antiquiorem, quam ex *Radoyno* sumtam credidit, ejus hæc verba sunt: *Eadem acta* [descripta ex codice MS. Bovinensi] *Sed absque Prologo, & nonnihil contracta describi nobis curavimus ex MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ, quod ad primi MS. correctionem aliquando necessariam profuit. Sunt autem illa non valdè antiqua, sed seculo primum decimo, aut etiam serius, ex traditione forsitan Populari composita. Prologus justo verbosior est. Auctor in eo se Radoynum Levitam appellat, scilicet Ecclesiæ Larinensis*; Profecto se prolixiori calamo, & ornatiori sermone *S. Pardi* Vitam scribere suscepisse, suis, ipse, verbis Radoynus significat in Prologo num. 2. *Istius Sanctissimi Patris* Pardi *Confessoris, atque Pontificis Vitam, & meritum enucleatius exarare aggrediar: ut haurientes corporalibus auribus, ejus Sanctissima facta internorum viscera referta dulcedine, mellito gutture indesinenter eructent*: Quasi quæ antea extabat vita, ceu rudi scripta stylo [ut *Radoynus* quidem sentiebat plus æquo sibi blandiens, & tribuens] eloquentiæ, qua ipse præstabat, lepore, lectores suos movere, ac delectare non posset.

Hinc

Hinc in fine ſequentis numeri 3. citati Prologi, non qualitercumque mandare literis: ſed *S. Pardi* Vitam *comere* profitetur.

VI. At quamvis ipſe pro rudis ſeculi more eleganter, ſcitèque opus ſuum confeciſſe putaverit, ſuorum labes temporum non exuit. Enim vero capita, ſecundum, & tertium Prologi, deſcripta videntur ex aliquo ſermone ab Epiſcopo Larinatum ad Populum habito die feſto *S. Pardi*. Styli diverſitas, argumentum morale ſacris concionibus aptum, & aliena ab Hiſtorico propoſito *audientibus fratribus* adhortatio, id evincunt. Proinde ſi duo illa Capita longius arceſſita, uſque ad Verba: *Sed nunc qua occaſione, vel quibus precibus &c.* Prologo auferantur, aptius capiti membra cohærebunt; nec adeo importuna operi, & Lectori evadet præfatio. Hominis ingenium ad conſarcinandum, & *Verboſitatem*, ut Firmici utar verbo, *pronum*, alibi quoque ſe prodit. Capite x. Vitæ quum narraſſet, portitores Sacri Corporis, antequam *Larinum* pervenirent, repentè deſtitutos viribus, incedere ultra nequiſſe: addit, *attonitos miraculo*, quotquot *præſentes aderant*, flere cæpiſſe, *& ſolcienus conquiniſcentes, & ubertim genas madefacientes, proſtratos ante* Corpus, *voces cum prece, & magnis promiſſionibus emiſiſſe*. Ejuſdem autem precis loco integram orationem promiſcuè multitudinis ori tribuit, quæ per illa tempora, & ſequentibus etiam ſeculis, die feſto Translationis *S. Pardi* inter divina officia in Larinati Eccleſia recitari quotannis conſuevit, recurrenti memoriæ, atque exoptato apud Deum S. Epiſcopi patrocinio; cujus gratia ſacrum ipſius Corpus e Lucerienſi Suburbano in Urbem ſuam Larinates tranſtulerant, ſapienter jam pridem accomodata, & unice congruens. Hoc in loco illud

lud etiam animavertimus : ipsius Orationis fundo alias item Ecclesias usas esse in pari festo , ac celebritate Translationum Corporum Sanctorum hominum , qui illorum Patroni apud Deum fuerunt adsciti.

VII. Opusculum Radoni sunt qui censeant, non esse absolutum, vel si absolutum, non apud multos vulgatum antiquitus. Conjectura suo pondere nititur. Nam vix unum, (quantum hactenus noscere licuit,) in Archivo Capituli, & Canonicorum Bovinensium invenitur exemplum , quod Radoni opus posteritati ferret. Ab illo præterito seculo accepit Ughellus, tum ipse cum Bollandianis sociis communicavit , teste Henschenio citato loco numero 2. Quod autem nunc prodit , cum Bovinensi diligenter collatum Codice , plenius Ughelliano exemplo est , & emendatus . Cæterum utrumque Scriptorum Vitæ *S. Pardi* veritatis studiosum fuisse , ex præcipuis historiarum capitibus in hoc Commentario expendendis exploratum fiet.

CAPUT II.

De ætate S. Pardi *variæ referuntur Scriptorum Sententiæ . Conciliantur graviores Critici , & probatur Conjectura , qua asseritur , eum vixisse sexto Christi seculo exeunte , & sequenti . Diuturnitas ejusdem ætatis ex Vita arguitur . Radoyni narrationi* additum *esse nomen* Cornelii *Papæ multis ostenditur* .

I. De ætate , qua floruit *S. Pardus* multæ , ac variæ circumferuntur Scriptorum sententiæ , quæ illam satis dubiam, & obscuram reddunt : Radoynus Levita Ecclesiæ Larinensis, in Vita *S. Pardi*, quam x. vel xi. Jesu Christi seculo scripsit (si nonnullis ipsius exemplaribus

bus fidem habemus) *S. Cornelio* Romano Pontifice illum Romam accessisse prodit: qui unicus ejus nominis, in serie Summorum Pontificum, secundum recentium Criticorum supputationem anno Domini ccLII. Christianæ præsidebat Ecclesiæ. Pompejus Sarnellus, Vigiliensis Episcopus in Chronologia Episcoporum, & Archiepiscoporum Siponti in *S. Leone*, quem quartum Sipontinorum Episcopum appellat: traditque mortem obiisse Septimo, ac vigesimo Episcopatus anno, Christi vero ccxciii. Cajo Romano Pontifice, pag. 27. iis temporibus *S. Pardum* floruisse memorat. Godefridus Henschenius Tom. 6. Sanctorum Maij in notis ad citatum Radoyn. pag. 371. litt. F. *Insertum* (inquit) bis *erat nomen Cornelij, qui unicus fuit* (Pontifex Max.) *anno* ccLII. *sed multo serius videtur* Pardus *vixisse sæculo* v. *aut* vi. Philippus Ferrarius in notis ad suum Martyrologium die xxvi Maii. Sancti *Barbati Episcopi Beneventani tempestate* S. Pardum, *vixisse scribit*. Eum autem anno Domini DCLXIII. electum Antistitem, anno demum ejusdem seculi LXXXII. vivere desiisse, *undecimo Kal. Martii à nativitate sua Octogesimo*: Antiquus vitæ Scriptor Cap. III. num. 20. apud Bollandum, & Beneventanæ Ecclesiæ antiqua monimenta commemorant.

II. Ferrarii sententiam veram arbitror. Enim vero, si *S. Pardus* exeunte seculo vi. Natus dicatur, Romamque Episcopus accessisse, Honorio I. Romano Pontifice, qui ab anno Christi 626. ad 640. Ecclesiam rexit, in primam partem ætatis *S. Barbati* revera incidet. Non enim tunc florenti S. Episcopus erat ætate, sed *Senio*, & *valetudine fatigatus*, ut prodit in ejus vita Radoynus num. 6. Quum autem postea in Ecclesiis à se Luceriæ constructis Deo servisse *tempora plura*, & in cellula inibi constructa per plures annos degisse: *afflictum*

flictum denique multis vigiliis, & inediis, simulque orationibus animam Deo reddidisse, in eadem vita legamus, narratis probè respondebit assertum, si *Pardum* in extrema senectute constitutum, sub annum Domini 650. ad Christum migrasse asseratur. Hæc illius ætas cæpta ab sexto exeunte seculo, cohæret etiam conjecturæ Henschenii. Neque solùm memorata in Vita *S. Pardi* ante mortem acta, verùm etiam, quæ post felicem ejus obitum accidisse narrantur, exactæ historiæ, ac designatis temporibus rectè congruunt. Quod tamen minimè accidet, si *Pardum* medio exeunte tertio Ecclesiæ seculo floruisse prodatur. Quando sæviens in Christianos Romanorum Imperatorum insectatio, nec passa esset, duas in *Luceriæ* Suburbano *ædificari miræ magnitudinis Ecclesias hærentes muro Civitatis*: nec tamdiu S. Episcopum cum sociis tutò, pacatèque Religiosam, ac solitariam vitam agere. Res enim sunt hujusmodi, quæ gaudentem publica pace Christianum Populum apertè indicant: nec florentem modò in Apulia Christianam Religionem, sed, & externum, publicumque Christianarum Urbium splendorem in dies auctum patefaciunt. Anno autem Christi 663. Quo *Constans Imperator*, multiplici, malorum genere, Apuliam, & Luceriam afflixit, *S. Pardum* jam pridem vita cessisse, ipsius vitæ narratio perspicuè ostendit. Quam paulo post, ut res ipsa fiat clarior, potissimè expendemus, aliisque veterum Scriptorum testimoniis confirmabimus.

III. Assertam à nobis Conjecturam de S. *Pardi* ætate magis, magisque comprobat testimonium Petri Razani Episcopi Lucerienfis, à Sixto IV. Pontifice Maximo ad eam dignitatem evecti, pietate, doctrina, & eruditione clarissimi. Is enim in sermone de *S. Pardo*

do Episcopo, quem Luceriæ ad Populum habuit, eum *circa tempora S. Gregorii Magni Papæ* vixisse narrat. S. Gregorius cognomento Magnus, anno Christi quingentesimo nonagesimo Catholicæ Præfectus Ecclesiæ, duodecim post annos, & menses sex Summo Pontificatu, & vita decessit. *S. Pardum* vero sub annum quingentesimum septuagesimum natum conijcimus, mortuum autem circa annum sequentis seculi quinquagesimum.

IV. Quod autem hujus loci caput est, nunquam *Cornelium*, neque aliud nomen Romani Pontificis in Vita *S. Pardi* Radoynum memorasse, inde licet arguere, quod alia illius Vita brevior, & antiquior, quam fere ad verbum in suum verbosum Commentarium transtulit, nullum Summi Pontificis nomen exprimit. Quod potissimè videre licet ex Codice Ms. Bibliothecæ Vaticanæ signato numero 5834. Quem olim descriptum fuisse ex pervetusto Volumine Canusinæ Ecclesiæ S. Sabini in Apulia, cura Guillelmi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sirleti Bibliothecarij, ejusdem Bibliothecæ Memorialis index nunciat. Ipsemet Codex Bovinensis, qui instar est Authographi, non obscura additamenti recentioris manufacti in intermedio relicto spatio præfert indicia. Prætereà varium, & inconstans Scriptorum assertum de ætate *S. Pardi* id ipsum comprobat. Si enim expressam temporis notam, quo ille vixit, in actis ejus reperissent eadem fulti, conjecturis, & argumentis ducti non essent, ut rem obscuram assequerentur. Ipsemet Radoynus apertè indicat nomen *Cornelii* narrationi suæ ineptè, ac importunè fuisse affixum. Habet enim Cap. v. *Venit Romam cum magno mærore ad* Apostolicum, *qui illis diebus præerat ipsius Cathedræ: quem ipse Venerabilis Papa Cornelius*

cum

cum Clericis suis honorifice suscipiens &c. & Cap. VI. *Cum luctu magno retulit in auribus Summi Pontificis, ut consuleret ei Beatus Papa Cornelius quid inde faceret de suo Episcopatu.* Extraneum additamentum facilè agnovit Henschenius in Notis ad Radoynum: proinde de suo loquens Codice, prudenter lectorem monuit *Insertum bis erat nomen Cornelii.*

CAPUT III.

Plures sedes Episcopales in Peloponneso. Ignota est illa, cui S. Pardus *præfuit. Locus Radoyni de Patria* S. Pardi *in examen vocatur.*

I. Subobscura etiam Episcopalis est Sedes, quam *S. Pardus* vivens obtinuit, Vita brevior, & antiquior: *Beatus* Pardus *Episcopus merito virtutum Deo acceptus, dum in Peloponneso Gregem suum verbo, & exemplo fructificando pasceret*: MS. Codex Bibliothecæ Vaticanæ signatus numero 5854. fol. 172. in ipso titulo indicat: *De Vita* S. Pardi *Episcopi, qui fuit Episcopus de Civitate Peloponnesii*, & in exordio, *Beatus Pardus relicta Ecclesia Peloponnensi peregrinando venit Romam*: Radoynus verò Levita Larinensis in vita ejusdem num. 5. *Hic autem prædictus Pontifex venerandus* Pardus *fuit de Civitate Poliponnesu*: de ignota Urbe Peloponnesi, cui *S. Pardus* Episcopus præfuit, apertè loquitur primus Auctor. Urbem Patriam significare videtur Radoynus, uterque de eodem loco rectè intelligi potest, licet qualis ille fuerit, omninò lateat; nam per ea tempora, quibus Pardus vixit, à Clero, & Populo ferè è Civibus eligebantur Episcopi. Fortasse non aliam, quam primi Scriptoris Anonymi fuit mens Rodayni: sed eam infelicitèr, & minùs aptis verbis expressit.

II. At

II. At verò licet certæ Urbis, quam S. Episcopus rexit notitia careamus, quum tres in Peloponneso Episcopatus fuisse, nimirum *Damalorum*, *Arpi*, *ac Monembasiæ*, sive *Temarusiæ*, ex antiquis monimentis liqueat, in illorum aliquo *S. Pardum* sedem habuisse necesse est. Quo hoc assertum fulcitur vetus monimentum, paulo post capite IV. indicabimus. In sua Diœcesi Episcopale obeundo ministerium S. Pardum *virtutum meritis Deo acceptum* micuisse: tum *verbo*, *&* *exemplo* creditas sibi oves pascendo Pastoralis vigilantiæ *fructus* retulisse, primigeniæ ipsius Vitæ Auctor memorat. Hæc tamen in suo subinde Opusculo Radonus Levita Larinas non expressit. Minus accuratè antiquiorem Scriptorem compilans, ac susceptum argumentum tractans.

CAPUT IV.

Caussa discessus è Diœcesi, & accessus ad Romanum Pontificem aperitur. Romano Pontifice cum Concilio approbante, S. PARDUS *Episcopatu se abdicat. Novum Episcopum deligendi facultas Civibus data. Peloponnesus Romano Patriarchatui subjectus. Ejus Metropolita Archiepiscopus Corinthi. Ad Archiepiscopum Thessalonicensem, tamquam Vicarium Romani Pontificis spectabat Episcopos, & Metropolitanos in Peloponneso confirmare, & ordinari, jubere.*

I. CAussa discessus *S. Pardi* à sua Diœcesi in Peloponneso, eodem Radono teste, post antiquiorem Scriptorem Vitæ, fuere pravi Populorum mores in malo obfirmati, omnem ejus curam respuentes, & medelam. Qui præterea *ægrè ferentes suam prædicationem, nequitiis, & cum dedecore expulerunt eum à suo Episcopatu;*

patu; Ob id S. Pardus: *Cum aliquantis Clericis venit Romam ad* Apoſtolicum, *qui illis diebus praeerat ipſius Cathedrae*. Quod quidem, ut ratione motus valida, ita etiam ex diſciplina Eccleſiæ *Pardus* præſtitit. Epiſcopi enim è ſua Diœceſi expulſio facta ab iniquo Populo, quum *è majoribus eſſet cauſſis*, ad Pontificem maximum ex Sacrorum Canonum præſcripto deferri debebat. Præterea Illyricum, cui ſuberat Peloponneſus, vel poſt diviſum à Conſtantino Magno Romanum Imperium, Romano Pontifici paruit: quia pars Patriarchatus Occidentalis erat, & ex majoribus Diœceſibus una, quas Concilium Arelatenſe immediatè Romano Pontifici ſubjectas agnovit. De re ipſa perſpicuum teſtimonium habemus Nili Doxopatrii Scriptoris Græci *in Notitia Patriarchatuum*, edita, à Scheleſtratio num. XIX. appendicis veterum monimentorum ad opus Geographicum antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtratæ tom. 2. pag. 22. Archiepiſcopus Corynthi totius Peloponneſii erat Metropolita: cui ſeptem Epiſcopatus ſuberant, nimirum *Damalorum*, *Arpi*, *Monembaſiae*, ſive *Temaruſiae*, *Cephaloniae*, *Zacynthi*, *Laneres*, *Marnae*, ut videre licet ex antiquo Scriptore Anonymo *de ordine Thronorum Metropolitanorum* num. XXVI. citati operis Scheleſtratii, & apud Goarium ad calcem Godini Hiſtoriæ Byzantinæ pag. 406. Ipſum Archiepiſcopum memorata de cauſa, Metropoliticum Pallium a Romano Pontifice accipere conſueviſſe cum poteſtate præſidendi Peloponneſo, liquet ex S. Gregorio Papa I. cognomine *Magno* in lib. IV. Epiſt. 56. Obſiſtente nullo Illyricum Romano Patriarchatui ſubfuit ad Leonem Iſauricum Imperatorem Iconoclaſtam: qui indignè ferens invictam conſtantiam Gregorii II. & Gregorii III. Summorum Pontificum pro defenſione cultus Sacrarum Imaginum, Illyricum, Siciliam, & Calabriam a Patriar-

chatu

chatu Romano avulsit, ut notat Thomasinus Disciplin. Ecclesiast. par. 1. lib. 1. Cap. XVIII. num. 6.

II. Honorificè à Pontifice Romano *Pardus* exceptus postquam casus, & gesta suarum ovium cum luctu magno eidem retulisset, Pontifex, quid facto opus esset, respondere prudenter distulit *Auditis subinde Civibus suis Romam profecti: qui belluina feritate deposita, pravique facti pœnitentes, suum reposcebant Episcopum*, recusavit *Pardus* illis morem gerere: *Quia senio, & valetudine fatigabatur. Tum Summi Pontificis, & Sancti Concilii roboratus consilio, licentiam dedit eis alium intronizandi in sua Sede, ut se vestigiis Summi Pontificis adjunctum in Urbe linquerent commansurum.*

III. In hoc facti genere non eximiam tantùm prudentiam, verùm etiam Christianam humilitatem, & charitatem S. Pardus ostendit; Quamvis enim mutatos se animo profiterentur, qui tam graviter ipsum offenderant, *senilem tamen ætatem, affectumque morbis corpus* ipse cogitans, eam se Gregi curam conferre non posse intelligebat, quam oves pravis vitiis *pertinacissimè inhærentes* tunc maximè exigebant. Quibus extirpandis, alterius *validioris, ac improbis non invisi Episcopi operam* magis illi profuturam sapientissimè censuit. Didicerat siquidem experimento, impensa cura, & vigilantia sua exacerbari potiùs, quàm sanari morbos corrupti populi: id facto comprobans, quod jampridem S. Augustinus in lib. II. contra Cresconium Cap. XI. docuit simul atque laudavit: *Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum Dominicum ministramus; ac per hoc, ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ità, vel esse, vel non esse debemus, quòd non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nonnulli sancta humilitate præditi*

Viri

Viri propter quædam in se offendicula, quibus piè, religiosèque movebantur, Episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt.

IV. Quod ait Vitæ Scriptor: *Summi Pontificis, & Sancti Concilii judicio*, Pardi propositum comprobatum fuisse: meminisse primùm lectorem volumus ex Canone V. primæ Nicænæ Synodi bis quotannis Romæ Provincialium Episcoporum Concilia, haberi consuevisse, in quibus emergentes Episcoporum, & Ecclesiarum causæ cognoscebantur, ne quid in illis absurdum esset, aut error, ut constat ex Epistola xv. aliàs iv. S. Leonis Papæ I. *ad universos Episcopos Siciliæ*. Ac de eodem servando more præcipuæ occurrunt leges in Codice Canonum, & Constitutorum Ecclesiasticorum Apostolicæ Sedis, qui usuì fuit S. Romanæ Ecclesiæ SS. Innocentio I., Zosimo, Leone Magno, & Successoribus Pontificibus Maximis cap. 1. tit. 2. n. 9. & cap. 57. n. 20.

V. Ad ipsum verò Concilium delata est à Pontifice Maximo caussæ dimittendi Episcopatus cognitio, quia, ut animadvertit Thomassinus Part. II. lib. II. cap. LII. *De Resignatione, & cessione Episcopatuum ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum*; num. VII. *Nondum, vel usu, vel Canonicis institutis vindicatum erat uni summo Pontifici potestatem Episcopos absolvendi à Sacro Ecclesiarum nexu, ac conjugio*; Et num. XIV. ejusdem Capitis: *Crimen* (inquit) *ægritudo desperata, Gregis intractabilis pertinacia, ejusmodi erant causæ, quibus Canonica cessio condonaretur. Sed immoderatior secessus pii, & contemplationis amor viros quandoque Sanctissimos incessebat, & præter Canonum normam transversos agebat. Ad Papam aliquando, non semper, ad Imperatorem, ad Patriarchas confugiebant, & ad Metropolitanos, nulla certa, & quæ ubique servaretur forma. Ac si*

dicas,

dicas, disciplinam Ecclesiæ in istiusmodi rebus, in dies singulos magis magisque elimatam fuisse, necdum ad unguem perpolitam.

VI. Electum porrò à Civibus fuisse alium Episcopum, qui in Peloponneso loco *Pardi* gregem pasceret, in ejus Vita memoratur, de consecratione vero illius a Summo Pontifice Romæ peracta, vel imperata, verbum nullum. Neque id mirum. Archiepiscopus siquidem Thessalonicensis Vicarius erat Papæ in Illyrico, & ipse confirmabat electos Episcopos, & Metropolitas: tum jubebat ordinare Consecrationem Episcoporum omnium ei reservarant Siricius, & Damasus, ut notat Thomassinus par. I. lib. I. cap. 18. n. 9. Cui probe consonant, quæ de re ipsa scribit S. Leo Magnus Pont. Max. in Epist. v. ad Episcopos Metropolitanos Illyrici cap. 5. & in Epist. xii. aliàs 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 6.

CAPUT V.

Dimisso Episcopatu, S. Pardus *permissu Romani Pontificis Apuliam petit, & apud Luceriam Vitam eremiticam cum sociis instituit. Ejus ibidem acta expensa, & illustrata. Divitiæ Lucerinorum per illa tempora. Disciplina Ecclesiastica de certa, & fixa Eremitarum Sede vigens in Patriarchatu Romano exacte servata a* S. Pardo.

I. P*Ardus* dimissi Episcopatus levatus onere: *Expetivit* a Papa, (ut narrat Radoynus nu. 7. ut sibi locum annueret commanendi Apuliæ. *Quo impetrato: quia locum invenerat suum implendi desiderium, sodales etiam cum petitione attribuit. At ille compos Voti effectus, stipatus magnis catervis, & Sanctissimis Turmis venit Apuliam. Inveniensque ibi locum aptum sui desiderii, appli-*

applicuit in Suburbano opulentissimæ Luceriæ : *auctor ipse ædificari porro* S. Pardum *curasse memorat*, *miræ magnitudinis*, *& pulchritudinis duas Ecclesias hærentes muro Civitatis*, *in quibus*, (inquit) *Deo servivit tempora plura* : *& erga quas parvissimam*, *& arctissimam cellulam sibi fieri præcepit* : *in qua per plures annos degens*, *afflictus multis vigiliis*, *& inediis*, *simulque orationibus Deo animam reddidit* . Memorata piorum sociorum frequentia, quæ cum *Pardo* in Apuliam successit, instituendæ solitariæ vitæ caussa, multo clarius ostendit, id tertio excurrente Ecclesiæ seculo, adhuc in Christinam Religionem sævientibus Romanorum Imperatoribus, fieri nequisse, sed designatis Vitę *S. Pardi* temporibus probè congruere. Nota subinde Apulis morum ejus Sanctitas : populorum in ipsum reverentia, Lucerinorum etiam pietas præcipua, & affluentia : florens denique tunc maxime in insigni Urbe Christiana Religio, eorumdem Sacrorum ædificiorum constructionem facilem pauperi reddiderunt.

II. Unam ex hisce Ecclesiis à *S. Pardo* exstructis eam fuisse, quæ nunc Luceriæ *S. Maria de Spica* appellatur, eo in loco sita, ubi quondam Cereris assurgebat ædes, Cives memorant. Horum ductus testimonio idem prodit Seraphinus Montorius in *Zodiaco Mariano*, seu libro de Sacris Imaginibus B. Mariæ Virginis Dei Genitricis, in Neapolitano Regno Miraculorum Nomine claris, Signo XII. Stella VI. pag. 698. *Scribens tamen primis temporibus valdè angustam* ipsam Ecclesiam exstitisse, Vitæ *S. Pardi* adversatur antiquo Scriptori, qui apertè asserit, utramque à S. Episcopo ædificatam Ecclesiam *miræ magnitudinis*, *& pulchritudinis fuisse*.

III. Quod ad divitias pertinet, quibus Luceria abundabat seculo Christi septimo, præter Radoynum, alii antiqui Scriptores suppetunt, qui id testantur. Auctor

Anonymus Vitæ *S.Barbati* Episcopi Beneventani, qui non multo post ejus obitum scripsit octavo seculo apud Bolandianos ad diem xix. mensis Februarii cap. 1. num. 6. *opulentissimam* extitisse prodit. Paulus autem Diaconus lib. 5. de gestis Longobardorum cap. 6. *opulentem* Apuliæ Civitatem tunc fuisse memorat. Utriusque Historici locos paulo post recensebimus.

IV. Memoratæ ab historicis Lucerianæ opulentiæ quatuor præcipuæ succurunt caussæ: Agri nimirum feracitas, loci opportunitas, Civium industria, & Beneventanorum Principum, qui tunc rerum potiebantur, vigil, ac sapiens studium procurandi terra, marique, qua via poterant, & licebat, subjectorum Populorum commoda. Experimento enim didicimus, quoties recensita viguere media numquam Apulis opes defuisse: paupertate autem uberrimæ regionis laborasse incolas, quando soli felicitati accolarum diligentia, commerciorum frequentià, vel Summorum Principum intenta communi bono providentia defuit.

V. Ad disciplinam verò Ecclesiæ illorum temporum in Romano Patriarchatu servatam, referendum est, quod Eremiticam vitam permissu Romani Pontificis, certo in loco *Pardus* cum Sociis instituit. Contra enim in eo facti genere agere damnatum erat, & adversum moribus florentis Ecclesiæ. Qua de re S. Augustinus in libro de Opere Monachorum cap. 28. scripsit *Diabolus bonum Christi odorem omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas usquequaque sub habito Monachorum dispersit circumeuntes Provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes*. Et antiquus Auctor Anonymus Vitæ S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, qui sub annum nati Salvatoris 520. multiplici clarebat nomine jam pridem à Vandalis ob Catholicam Fidem

dem

dem in Sardiniam relegatus cap. 27. *Noluit planè jam B. Fulgentius in priori domo multis fratribus comitantibus diutius habitare, sed juxta Basilicam S. Martyris Saturnini procul à strepitu Civitatis vacantem reperiens locum, Primasio Calaritanæ Civitatis Antistite Venerabili priùs, sicut decuit, postulato, novum sumptibus propriis Monasterium fabricavit. In quo quadraginta, & amplius fratribus congregatis disciplinæ cænobialis ordinem servavit illæsum.*

VI. Eos, qui cum *S. Pardo* instituendæ Vitæ Eremiticæ caussa ab Urbe Roma in Apuliam sunt prosequuti, temperato vocabulo brevioris vitæ auctor Anonymus *socios* appellat. Radonus eum *stipatum magnis Catervis, & Sanctissimis Turmis* in *Apuliam* concessisse scribit. At verò magnopere vereor, ne & hic importunæ amplificationi Rodonus indulserit. Profectò Luceriæ Suburbium tantam Eremitarum cum *S. Pardo* admisisse multitudinem sine graviori, & idoneo teste non ità facilè viris Criticis quispiam persuadebit. Peculiaris Lucerinorum Historia, & popularis traditio usquequaque Radono non favent. Ne quis tamen miretur vicinum Urbi locum Eremiticæ ducendæ vitæ à *S. Pardo* fuisse delectum, lubet hic congruens Rei nostræ S. Hieronymi testimonium proferre, qui in Epistola XVI. editionis antiquæ, novissimæ autem Veronensis CXXVII. *ad Principiam scripsit. Suburbanus ager vobis pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine: multoque ita vixistis tempore. Ut ex imitatione vestri, & conversione multarum gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo.*

CAPUT VI.

Episcopatum Lucerinum S. Pardus *nunquam gessit. Momenta, & rationes illorum, qui id asserunt, examinantur, & refelluntur. Ferrarius nusquam prodidit* S. Pardum *fuisse Larinatum Episcopum. Ughellus, & Orlendius de re ipsa notantur. Refellitur rursus Ughellus tradens, alium Episcopatum in Italia à Romano Pontifice oblatum fuisse* S. Pardo.

I. DIgressum Roma in Apuliam *Pardum*, Episcopatum Luceriæ suscepisse nonnulli recentes Scriptores narrant. Nimirum Pompejus Sarnellus Vigiliensis Episcopus in Chronologia Sipontinorum Antistitum in S. Leone num. 4. & ex eodem Sarnello Nicolaus Coletus in supplemento, & additionibus ad Italiam sacram Ughelli tom. 8. column. 279. Eidem sententiæ de Episcopatu Lucerino *S. Pardi* adhæserunt Persius Cononus in Historia Regni Neapolis, & Frater Archangelus de Montisarculo Ordinis Minorum Observantium in Chronhistoria Provinciȩ S. Angeli part. 3. cap. 1. p. 356. Verùm id silent omnia prorsus Lucerinorum, & aliorum antiqua monimenta. Scriptores præterea vitæ ejus non modo silent, sed apertè repugnant. Pari siquidem constantia produnt, *S. Pardum*, dimisso in Peloponneso Episcopatu, quia senio, & valetudine gravabatur, Eremiticam vitam egisse in Lucerino Suburbano, arctissimaque degisse in cellula, inedia, & vigiliis afflictum, & precibus ad Deum fusis intentum. Quas autem caussas abdicandi se Episcopali Ministerio, à Pontifice Maximo, & Romano Concilio comprobatas vidimus, vim item habuisse, ne alibi id ipsum obiret, nemo est, qui non intelli-

telligat. Satis insuper notum est æquissimum illud virorum Criticorum affatum de antiquis rebus ad Historiam pertinentibus nihil asserendum, quod non idoneo, & antiquo nitatur teste. Alias eadem facilitate assertum ridetur, & contemnitur, qua fingitur, & obtruditur. Vetus enim historia antiquum testimonium gestæ rei est, non commentum Scriptorum recentium.

II. Visuntur quidem Luceriæ, præsertim in Cathedrali Templo constructo à Carolo II. Andegavinsi Neapolitanorum Rege sub annum Dom. 1302. Imagines quædam *S. Pardi*, quibus adpositæ inscriptiones, illum Lucerinorum Episcopum fuisse indicant. Sed picturæ ipsæ antiquæ non sunt, & inscriptiones recentiori ævo feruntur adiectæ. Hæc obscura ignotorum Auctorum testimonia fortasse moverunt Sarnellum, potioribus tamen ducti momentis Ughellus in Italia sacra, Ferrarius in *Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt*, & Ciarlantus in Memoriis historicis Samnii lib. 5. cap. 22. illa meritò neglexerunt, & pendere nihili. Suam enim lectoribus patefacientes sententiam, *Pardum* apud Lucerienses Eremitam, non Episcopum egisse testati sunt. Dictis pondus addit altum silentium Petri Razani doctissimi Luceriæ Episcopi, qui in sermone de *S. Pardo* ad suum Populum habito, nusquam meminit de Episcopatu gesto Luceriæ. Non omisurus certe hoc decus suæ Sedis, & Ecclesiæ, si verum comperisset. Occasio aderat locus exigebat, nec minus dicentis dignitati, quam audientium honori ea commemoratio conducebat. Monitis etiam vim addebat. Quid enim validius, quam Sanctissimi Pastoris exemplum ovibus suis propositum ad imitandum? Ut magis mirere, ne in ipsa quidem luculenta oratione de laudibus Luceriæ, quidquam Razanus de tanta re loquitur.

III. Lau-

III. Laudatus Ughellus in tom. 8. citati Operis de Antistitibus Larinatibus scribens Ferrarium reprehendit, quod *S. Pardam* Episcopum Larini extitisse prodiderit. Eadem in Ferrarium censura utitur Orlendius p. 3. *Orbis Sacri, & profani illustrati* lib. IV. cap. 22. num. 7. sed uterque Scriptor apertè fallitur. Ferrarius enim non Episcopum, sed Patronum Larini *S. Pardum* esse narrat. Alio item errore laborat citato loco Ughellus scribens de *S. Pardo cum à sua sede expulsus fuisset, Romam venit ad Pontificem Maximum: à quo oblatum in Italia alterum Episcopatum, quietis gratia, & amore solitudinis illum recusavit, & in Eremum secessit propè Luceriam Civitatem Apuliæ. Ubi tanta Vitæ Sanctitate in ea solitudine vixit, ut Sanctus post obitum habitus sit*: nusquam enim alium Episcopatum, post primum dimissum, *S. Pardo* oblatum legitur.

CAPUT VII.

S. Pardus *statura supra mediocrem fuit, & corpore valido*.

I. Statura supra mediocrem, validoque *Pardum* fuisse corpore, medicæ, atque anatomicæ rei periti coniiecerunt ex ossibus, quæ magna cura inspexerunt, & expenderunt in translatione facta ritu solenni, anno præteriti seculi nonagesimosexto, die 23. Mensis Maii præsentibus Josepho Catalano Larinensi, & Fabricio Ciancio Guardiensi Episcopis, multisque aliis viris, gravibus, nobilibus, ac dignitate præstantibus. Validam temperationem corporis *S. Pardi* inde etiam licet arguere, quod Episcopatum dimittens licet gravatus senio, adversa affligeretur valetudine, Eremiticam nihilominus Vitam delegit, & inter assiduas corporis afflictationes *annis multis* ætatem protraxit.

II. Alia

II. Alia *S. Pardi* apud Lucerinos preclarè acta Scriptorum silentium,& antiquitas nobis occuluerunt. Narrat tamen in postremo capite Radonus: *Fuit hic Pastor pius, & misericors: humilis, & benignus; nullum spernens, nullum despiciens. Omnibus tribuebat, & omnibus indulgebat. Animabat frigidos, mitigabat violentos*. In exemplo, quod è Bovinensi Codice publici Notarii manu descriptum Illmus Dominus Fr. Antonius Lucci Episcopus Bovini misit ad Illmum D. Joannem Andream Triam Larinatum Antistitem in fine additur: *Cætera desunt*. Vivum miraculis etiam à Deo illustratum fuisse, apud ipsum Radonum Capite x. narratur his verbis: *O Sanctissime Presul Beate Parde, qui & cœcos videre fecisti, & surdos audire, claudosque ambulare, Paraliticos contractionem membrorum laborantes in pristinum officium reduxisti, obsessos ab immundis spiritibus, non solum prece, sed interdum etiam potestate sanasti, adesto nunc afflictis Larinensium Reliquiis*.

CAPUT VIII.

Dies obitus ejus extitit xvi. *Kalendas Novembris. Ob id Natalis dictus in antiquis monimentis. Corpus diu servatum incorruptum.*

I. Quod ad diem obitus pertinet, eum fuisse decimum septimum mensis Octobris perspicuè significat pervetustus Codex olim Canusinæ Ecclesiæ S. Sabini literis Longobardicis exaratus, undè centum octoginta ante annos Guillelmus Cardinalis Sirletus doctrina, eruditione, atque pietate longè clarissimus describendas curavit Vitas *S. Pardi*, & aliorum Sanctorum, easque in Bibliothecam Vaticanam, cui præerat,

erat, intulit: Habet enim *Vita S. Pardi Episcopi, cujus natalis celebratur* XVI. *Calendas Novembris*. Non aliter antiquus *Liber Sanctoralis* Larinensis Ecclesiæ. *Incipit* [inquit] *Vita* S. Pardi *Episcopi, & Confessoris, cujus Translatio celebratur septimo Calendas Junii, Natalis vero* XVI. *Calendas Novembris*.

II. Porrò autem Natalis diei nomine diem mortis Sanctorum hominum ex pervetusto, atque constanti Catholicæ Ecclesię more, res adeo clara est, ut probatione non egeat: *Natalem ergo Sanctorum cum auditis charissimi* (inquit *S. Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas serm.* 129.) *Nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra ad Cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas: de mundanis Ritibus ad coronam, & gloriam*. Et S. Nicolaus I. Pontifex Maximus in Responsion. ad Consulta Bulgarorum. *Aptè consuetudine tenetur Ecclesiastica, ut solemnes Beatorum Martyrum, vel Confessorum Christi dies, quibus de hoc Mundo, ad regionem migravere vivorum, nuncupentur* Natales. *Sed & eorum Solemnia, non Funebria tamquam morientium, sed utpotè in vera Vita nascentium, Natalitia vocitentur*. Cartusianorum Bruxellensium supplementa ad Greveni Martyrologium recitata à Bollando in Commentario prævio ad Vitam *S. Pardi* num. 2. idem spectant. Produnt siquidem, die XVII. Octobris. *In Civitatem Alarini* S. Pardi *Episcopi, & Confessoris*. Ubi Martyrologia Sanctorum Festum indicant sine addito, *Natales* fere intelligi, certum est. In Ecclesia Larinatum nullum vetus monimentum reperitur, quod diem Festum XVII. mensis Oct. ad memoriam inventionis Corporis *S. Pardi* referat. Omnium primus ex conjuctura id asseruit Ughellus in Catalogo Larina-

tum

tum Antiſtitum; ipſoque duce in eumdem errorem Bollandus citato loco attractus eſt, ea fortè de cauſſa, quia Ughellus memoria lapſus teſtimonium pronunciavit: *Acta ipſius ms. hæc habent*: quæ revera nuſquam proferunt. Neque jure proferre poterant. Nam Corpus *S. Pardi* apud Larinates numquam manſit ignotum. Translatum ex Urbe Luceria, in Eccleſiam B. Mariæ Dei Genitricis temporario donatum eſt tumulo; indè in propriam ædem inlatum populi cultu, & miraculis claruit, ut Auctores illius Vitæ teſtantur. Ex Baſilica ſolo æquata, in ædem Deo in honorem B. Mariæ Virginis, & ejuſdem S. Epiſcopi dedicatam translatum fuit, ubi hodieque manet, & colitur. Quod multo magis clarum fiet Capite xxi. ubi de variis Translationibus ejus agemus. Poſt obitum Corpus *S. Pardi* apud Lucerinos incorruptum à Deo ſervatum fuiſſe, uterque ipſius Vitæ auctor narrat. Eamdem incorruptionem ad duodecimum Chriſti ſeculum non ſine miraculo Larini retinuiſſe, ex veteri, atque coævo ipſius Eccleſiæ monimento diſcimus.

CAPUT IX.

Conſtantius Imperator Conſtantinopolitanus adverſus Longobardos bellum in Italiam transfert. Ab antiquis Scriptoribus appellatus Conſtantinus. Illius in Apuliam expeditio.

I. OCtavo ſui operis Capite Radoynus mala, quæ poſt obitum *S. Pardi* paſſi ſunt Apuli ab Imperatore Conſtantinopolitano, commemorat. Hunc in Japygiam ad Tarentum appulſum, exindè Luceriam vi captam ſolo æquaſſe: tum Beneventum arctiſſima, ac moleſtiſſima obſidione vexatum, fruſtra tentaſſe, ſcribit

F Lon-

Longobardis nempe Principibus per idem temporis non minima ex parte parebat Apulia, conatumque, & curam omnem in Italiam profectus, Cæsar adhibuit, ut amissas Regiones recuperaret, & Oppida. Nihil hic Auctor narrat, quod præcipuarum Urbium monimentis, & aliorum veterum Historicorum, qui in Italia vixerunt, testimonio non comprobetur.

II. Antequam verò *S. Pardi* Vitam singillatim, hac in parte illustremus, illud in primis animadvertendum: memorato Augusto Cæsari, tametsi *Constans* proprium, germanumque nomen fuerit, Seculo tamen septimo, & sequenti vulgò *Constantinum* diminutivo vocabulo appellatum esse. Nec aliter antiquos Scriptores, qui per ea tempora in Italia floruerunt, eum vocasse. Quod ideo adnotatum volui, ne quis illorum temporum morem, supinum Radoyni errorem censeat. Auctor Anonymus Vitæ S. Barbati, qui seculo Christi septimo vixit apud Bollandianos ad diem XIX. Mensis Feb. cap. I. n. 6. Et Paullus Diaconus lib. 5. de gestis Longobardorum *Constantinum* perinde, atque Constantem dictum produnt. Anastasius Bibliothecarius in Vitaliano Papa non aliter, ac Radoynus *Constantinum* appellat. His accedunt & recentium Criticorum suffragia. Ughellus tom. 7. Italiæ Sacræ de Episcopis Beneventanis num. 35. in S. Barbato. *Constantinus* (inquit) *dictus Constans Imperator Constantinopolitanus*. Godefridus Henschenius in Notis ad Vitam *S. Pardi* lit. H. ad Verb. *Constantinus*. *Intelligendus Constans, aliis etiam Constantinus dictus Imperatoris Heraclii ex filio Constantino Novercæ fraude occisa Nepos*: addit hic Henschenius in Vaticano Codice scribi *Constantius*. Sed fallitur. Ibi enim *Constantinus*, non Constantius exprimitur.

CA-

CAPUT X.

Mala gravia explicantur, quibus Imperator subjectos Populos, Apulosque, & Calabros afflixit. Calabriæ *nomine quænam antiquis Authoribus dicta Italiæ Regio.*

I. ILlustrato Cæsaris nomine, qui veluti cardo adjectæ narrationis est, alia ab eo facta in Apulia prosequimur: ac primum generalia, tum particularia, ex servato apud Radoynum ordine, investigabimus. Ut primum historiæ caput absolvamus, inquirendum est, quæ illæ fuerint Plagæ maximæ, ac depopulatio, quibus peccatis exigentibus, Apuliam totam cum Accolis Deus Omnipotens per ipsum Pricipem flagellari permisit. Auctor ipse post narratum Imperatoris Tarentum apulsum satis magnam aperit pœnarum congeriem, scribens *Concite autem inde surgens cum suo apparatu* (bellico) *totam Apuliam vastavit, atque prædatus est*. Radoyno probe cohæret citatus Author Vitæ *S. Barbati* cap. 1. num. 6. *Constantinus autem, qui & Constans est appellatus...... à Longobardorum manibus Italiam eripere cupiens, suæque reducere ditioni...... innumera suorum multitudine collecta, mare transgressus. Tarentum penetravit. Indeque profectus penè omnes Apuliæ Urbes depopulavit*. Sed neque hic malorum finis. Paullus Diaconus lib. 5. de gestis Longobardorum cap. 11. de eadem Constantis expeditione loquens. *Et tales*, (inquit) *afflictiones imposuit populo, seu habitatoribus, seu possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ, quales antea numquam auditæ sunt: itaut etiam uxores à maritis, vel filii à parentibus separarentur. Sed & alia multa, & inaudita illarum regionum Populi sunt*

perpessi: itaut nulli spes Vitæ remaneret. Nam & vasa, & cimelia Sanctarum Dei Ecclesiarum Imperiali jussu, & Græcorum avaritia sublata sunt. Anastasius Bibliothecarius in Vitaliano num. 77. *Talem afflictionem posuit in Populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales à seculo numquam fuerunt. Sed, & alia multa inaudita perpessi sunt, ut aliqua spes Vitæ non remaneret. Sed & Sacra vasa, vel cimelia, seu utensilia Sanctarum Dei Ecclesiarum auferens, nihil dimisit.* Utrumque Scriptorem *Calabriæ* nomine, non eam tantùm extremæ Italiæ partem, quæ Mari Infero, verum etiam illam, quæ Mari supero abluitur, & ad Orientem vergit una cum universis aliis Regionibus, & Urbibus, quæ tunc Constantinopolitano Imperatori parebant, intellexisse, exploratum est. De qua nominis Calabriæ significatione latissima pro illustrandis illorum temporum rebus historicis, egregiè differit Eruditissimus Peregrinus in historia Principum Longobardorum lib. 2. par. 1. differt. 6. *De finibus Ducatus Beneventani ad Orientem*, pag. 45. Rem ipsam suo testimonio præclarè illustrat Paullus Diaconus. Historiarum, de quibus agimus, Scriptor gravissimus lib. 2. cap. 21. *Quintadecima Provincia est Apulia cum sociata sibi Calabria; intra quam est regio Salentina. Hæc ab Occidente, vel Africo habet Samnium, & Lucaniam à solis vero ortu Adriatico Pelago finitur. Hæc habet Urbes satis opulentas Luceriam, Sipontum, Canusium, Agerentiam, Brindisum, & Tarentum, & in sinistro Italiæ cornu quod L. millibus extenditur, aptum mercimoniis Hydruntum.*

CA-

CAPUT XI.

Luceriæ obsidio, expugnatio, atque vastatio in Vita S. Pardi *narrata, aliorum veterum Historicorum testimonio comprobatur, & illustratur.*

I. De capta à Constante Luceria loquens Radoynus, eam diruisse, incendio fœdasse, illosque, qui per maturam fugam suæ saluti non consuluere, captivos duxisse tradit. De re ipsa Auctor Vitæ *S. Barbati* cap. 1. n. 6. *Opulentissimam Luceriam cum gravissimis præliis cæpit: Ejusque omnibus prædonum direptis manibus, eam ad solum usque prostravit*: Et Paullus Diaconus lib. 5. cap. 7. *Igitur cum Constans Augustus Tarentum venisset, egressus indè Beneventanorum fines invasit, omnesque penè, per quas venerat Longobardorum Civitates cæpit. Luceriam quoque opulentam Apuliæ Civitatem expugnatam fortiùs invadens diruit, & ad solum usque prostravit*. Incendii, quo in Luceriam Constantius sæviit, mememinit præcipua Lucerinorum Historia, itemque Scipio Mazzella in descriptione Regni Napolitani agens de Luceria in Capitanata, Provincia XII. pag. 179. Enunciatis rebus lucem, & pondus addit Lucerina Inscriptio olim affixa muro veteris Portæ à Friderico II. Imperatore constructæ.

SAMNITUM . URBS . FUERAM . CONDAM . LUCERIA . CLARA;
ET . BENEVENTANI . CONSORS . DITISSIMA . REGNI .
DIRUIT . IRATUS . CONSTANTIUS . AT . FRIDERICUS .
SURGERE . ME . JUSSIT . PULCRAM . FECITQUE . POTENTEM.

CA-

CAPUT XII.

Beneventum ab eodem Imperatore obsessum, ac frustrà tentatum. Urbs erat tunc ditissima. Quænam fuerunt obsidia à Principe illi tradita, & in Vita S. Pardi *obscurè memorata? Anno Christi* DCLXII. *hæc accidisse ostenditur. Freccia aliter sentiens notatur. Constantii ab Italia discessus parùm exactè à Radoyno indicatus.*

I. IN enarranda Beneventana obsidione, par consensus eorumdem veterum, ac finitimorum Historicorum est cum Auctore Vitæ *S. Pardi*. Eam siquidem ab Imperatore peractam esse quum Urbi præsideret Romualdus, Grimoaldi Longobardorum Regis filius, ipsamque tueretur cum paucis, ac validissimis Longobardis, Episcopo autem *S. Barbato*. Ejus Vitæ Scriptor gravis, & diligens citato nuper capite prodit. Paullus Diaconus lib. 5. cap. 7. Romualdum adhuc *juvenculum* fuisse narrat. Undè magis magisque emicat in tanto discrimine impetratum à Deo optimo maximo adversus hostes per Sanctissimum Pastorem divinum auxilium. Quale verò *obsidium* fuerit, quod Radoyno teste, ab Romualdo Cæsar accepit, postquam se frustrà laborare novisset in obsidione Beneventi, tùm ex Paullo Diacono lib.5. cap.8. tùm etiam ex Auctore Vitæ *S. Barbati* cap. 2. n. 10. discimus fuisse ipsius Romualdi Sororem, cui nomen *Gisa*; quæ in Siciliam ab Imperatore deportata, ibidem diem clausit extremum, eodem Teste Paullo Diacono cit. lib. cap. 45. Utrique Historiæ cohæret Joannes Monachus antiquus Author in lib.3. Chronici Monasterii S. Vincentii ad Volturnum; itemque Joannes Diaconus in libro de Episco-

Episcopis S. Neapolitanæ Ecclesiæ: quos clarissimus Muratorius in collectione Scriptorum rerum Italicarum edidit.

II. Postremò quod AuctorVitę *S. Pardi*, Urbem Beneventum olim *ditissimam* appellet, testimonio nititur ejusdem Petri Diaconi; à quo in lib. 2. c. 20. post memoratum Samnium, Campaniam, & Apuliam: *Et ipsa* (inquit) *harum Provinciarum caput ditissima Beneventus*. Ex his comperimus, Anonymum, ac Radoynum cum *S. Pardi* Vitam scriberent, Auctores ipsos præ oculis habuisse, ne quid temerè, minusque exploratum sua narratione posteritati traderent. Quod sanè & pretium illi, & fidem conciliat. Constantii Imperatoris in italiam accessus, Luceriæ ruina, atque obsidio Beneventi in annum Christi DCLXII. incidunt, ut scitè post alios viros criticos animadvertit Horatius Blancus in Eruditis Notis ad Paullum Diaconum lib. 5. cap. 5. num. 28. p. 478. His enim peractis, Constantinum Neapolim adivisse, ac demum Romam anno sequenti die quinta Mensis Julii feria 4. Indict. 6. Ex Anastasio Bibliothecario rectè arguit Joannes Bollandus in Commentario prævio ad Vitam *S. Barbati*, §. II. n. 9. p. 137. Proinde turpi errore laborat Freccia in lib. 1. de Subfeudis, titulo de Provinciis, & Civitatibus Regni Neapolis n. 48. pag. 88. Luceriæ casum in annum illius seculi XCVIII. coniiciens, graviorique mendo Paullum Diaconum, & Blondum Flavium absurdi asserti Testes advocat.

III. Constantii ab 'Italia discessum post Beneventanam obsidionem parùm diligenter narrat Radoynus. Benevento enim Neapolim Imperatorem concessisse scribit, tùm maritimo itinere ad suos revertisse. Et tamen, nec continentèr, neque mari id egisse, sed Neapoli Romam profectum, Roma Neapolim rediisse: inde verò terrestri

ſtri itinere in Siciliam navigaſſe, ubi mortem obiit, Paulli Diaconi, Anaſtaſii Bibliothecarii, aliorumque veterum Hiſtoricorum teſtimonio diſcimus. Hæc peccata facilè Radoynus vitaſſet, ſi locum antiquioris Scriptoris Vitæ *S. Pardi* accuratè lectum, fideliter expreſſiſſet. Habet enim ſcitè. *Neapolim* (Cæſar) *ingreſſus in ſuos pauld poſt fines rediit*. Quod ea etiam de cauſa notatum voluimus, ut clarius noſcatur, utriuſque Scriptoris narrationem diverſam eſſe, nec breviorem ex Radoyno ſumptam compendio.

C A P U T XIII.

De Oppidi Leſinenſis origine Scriptores varii. Vera de re ipſa ſententia aperitur, & graviorum Auctorum teſtimonio, ut in Vita S. Pardi *narratur; aſſeritur*.

I. Oppidi Leſinenſis originem varia Scriptorum ſententia ſuboſcuram reddit. Nonnulli pervetuſtum cenſent ædificium, conſtructum ex ruinis Hyrii: cujus apud Ptolomæum, alioſque Geographos eſt mentio. Hoc tamen aſſertum minùs probatur Alberto in deſcriptione Apuliæ Dauniæ, qnod Hyrtium alibi, remotiori in loco ſitum fuerit. Petrus Razanus Lucerinus Epiſcopus, qui Ferdinando I. Aragoneo Neapolitanorum Rege floruit, in libro de Laudibus Luceriæ prodit, initium ſumſiſſe ab Incolis Leſinæ Dalmaticæ eo appulſis, & piſcaturæ operam dantibus: à quà, & nomen ſuſcepiſſe. Razano multi ſubinde adhæſerunt prẹſertim vero I. C. Marinus Freccia in lib. I. De Subfeudis Baronum in Regno Neapolis tit. de Provinciis, & Civitatibus Regni n. 48. Leander Albertus cit loc. pag. 256. Paullus Merula in Coſmographiæ lib. 4. par. 2. cap. 20. 25. & 30. Ioannes

nes Bollandus in Commentario Hiſtorico de SS. Epiſcopis Sabino, & Eunomio tom. 2. ad diem 9. Februarii nu. 3. pag. 336. Et Ferdinandus Ughellus tom. 8. Italiæ ſacræ agens de Leſinenſibus Epiſcopis. Jacobus Ruſſatus in diſcurſu de origine Leſinæ, Razani probat aſſertum. Narrat tamen *ſecundum antiqua* (ut ipſe ait) *Leſinenſium, & Lucerinorum monimenta*: Piſcatorum populationem in caſis degentem ſeptimo Chriſti ſeculo poſt dirutam Luceriam incrementum cæpiſſe, confluentibus eodem Lucerienſibus cum ſuo Epiſcopo, qui patriæ urbis caſum fuga prævenerant: *ac tunc primùm ab ipſis locum mænibus cinctum in modum fortalitii*. Sed reverſo cum ſuis Luceriam Epiſcopo, & Saracenis Apuliam depopulantibus, diſperſis incolis, ac *deſtructo fortalitio* decreviſſe: donec Nortmannis florentibus, meliorem fortunam locus indeptus habitatoribus, & opibus rurſus creverit, præcipuo etiam à Summo Pontifice impetrato Epiſcopo.

II. Hæc enerratis in Vita *S. Pardi* probè congruere, facilè quiſque intelligit. *Oppidum* enim, ut notat Jacobus Facciolatus in Lexico, *Locus eſt mænibus concluſus, in quem homines multi habitandi cauſſa concurrunt, à Caſtello differt magnitudine, à vico mænibus*. Et Nicolaus Perottus Sipontinorum Archiepiſcopus longè doctiſſimus lib. 1. Commentariorum linguæ latinæ pag. 118. editionis Aldinæ. *Oppida ſunt vocata, vel ab ope, quod opis cauſa mænibus cingantur; vel ab opere, quod opus ſunt ad Vitam gerendam; vel ab opponendo ſe hoſtibus vel ab opibus. Hujus enim rei gratia mænia conſtituta ſunt, ut homines opes ſuas eo conferrent, ubi nullum eſſet hoſtium periculum*. Bollandus aliorum aſſertum cum Radoyno in Notis lit. L. Alia interpretatione conciliat, quæ tandem in idem recidit. *Leſina* (inquit) *urbs etiam poſtea Epiſcopalis ante radices Montis Gargani Aquilonaris: ab aliis dicitur condita*

 à Chri-

à Christianis Piscatoribus Lesinæ Insulæ Dalmaticæ forte adjuvante Episcopo Lucerino, à cujus urbe distat circiter XX. *mill. pass. in eadem Capitanata*.

III. Non diu Lesinam Lucerienses incoluisse, sed pacatiora nactos tempora antiquos lares maturè repetisse, inde licet arguere, quod nono ineunte seculo, Luceria frequens erat populo, murisque etiam cum primis valida. Adeout anno post virginis partum DCCCII. Caroli Magni obsidionem pertulerit, nec sine labore ad deditionem sit compulsa, ut constat ex Annalibus Bertinianis regum Francorum apud Muratorium Tom. I. Collectionis Scriptorum rerum Italicarum pag. 505. ubi narratur. *Luceria quoque frequenti obsidione fatigata Regis in deditionem venit: præsidiumque nostrum in ea est positum*.

C A P U T XIV.

Larinum anno Domini DCCCXLII. *ab Agarenis diripitur, & vastatur. Vita* S. Pardi *ex veterum Historicorum Confessione clarior reddita, & comprobata. Agareni dicti etiam Saraceni: Pagana gens habita: Quandiu* Frentanos, *aliasque finitimas Regiones infestaverint?*

I. ILLata Larinatibus ab Agarenis Vastatio, & alia mala, quæ Auctor Vitæ *S. Pardi* memorat Cap. 9. anno Domini octingentesimo quadragesimo secundo acciderunt; quo tempore primam in Frentanos ea Gens barbara impressionem fecit, terra, marique discurrens, cædibusque, incendiis, ac latrociniis Populos infestans. De his Chronicon Monasterii S. Stephani ad rivum maris propè Histonium. *Anno Domini* DCCCXLII. *Indictione quinta Agareni in multitudine magna primo venerunt*

runt depredationes, & occisiones, & devastationes facientes in omnibus locis, tam in terra, quàm in mari, & circa littora. Anonymus Salernitanus. qui x. ineunte Christi seculo vixit in Chronico cap. 66. apud Muratorium tom. 2. par. 2. collectionis scriptorum rerum Italicarum, agens de Radechisii, & Siconulphi Beneventi, ac Salerni Principum discordia sub eundem annum.. *Audito hoc ab Agarenorum gente generalem faciunt motionem. Calabriæ fines adeunt; circumque loca pervadunt. Tarentum veniunt, eamque sine mora ceperunt. Inde ipsi in Apuliæ fines perveniunt penè omnes Civitates Apuliæ depopulantur omnes homines, qui ad instar segetum excreverant, occidunt*.

II. Ab ipsis Agarenis captam tunc fuisse Civitatem Canusiæ, quæ sita est in Apuliæ finibus, paulò post, idem scribit. Alteram Agarenorum in Frentanos irruptionem in memorato Chronico Monasterii S. Stephani contigisse proditur anno ejusdem seculi primo, & quinquagesimo. De hac Erchempertus in Historia Longobardorum Beneventi cap. 20. post narratam Radelgarii ad Principatum evectionem, qui Radelgisio Patri successit. *Per idem tempus* (inquit) *Agareni Barim insidentes cæperunt devastantes stirpitùs deprędare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum suggestum est lamentabili supplicatione jam sæpedicto piissimo* (*Ludovico*) *Augusto per venerabilem virum Basjicium B. Benedicti Vicarium, & per Jacobum S. Vincentii Abbatem, ut properare quantocius dignaretur, & suo adventu eriperet, quos ante jam misericorditer redemerat*.

III. Eadem habet Leo Ostiensis in Cronic. Casinen. cap.30. Eòque spectat Adelchis Princeps Beneventi, qui anno Domini DCCCLIV. Radelgario Fratri successit, in

Capitulari n.7. *Oppida, & villæ plurimæ à Paganis crematæ sunt, & nostris exigentibus meritis sæpiùs cremantur, & disperduntur*: ad quem locum pag.316. notat Peregrinus: *Paganos hic Saracenos, dicit, omnem tunc cis Tiberinam Italiam dirè vastantes. Quo etiam nomine eos appellat Erchempertus in Historia n. 16. & Joannes Papa* VIII. *in Epistolis sæpè.*

CAPUT XV.

Miserrimè afflictæ, atque ob id vacuæ habitatoribus Urbes facilè direptioni Corporum Sanctorum à Christianis factæ patuerunt. Lesinenses Corpora Sanctorum Martyrum Primiani, *&* Firmiani *Larinatibus surripiunt. Monimenta ad eosdem pertinentia apud Larinates, & Lesinenses recensentur, & illustrantur.*

I. INterea loci ex Urbe Larino destituta Incolis sublata fuisse à Lesinensibus Corpora Sanctorum *Primiani*, & *Firmiani*: re autem subindè comperta, Larinates ex fuga collectos sacrum dispendium compensaturos, Corpus *S. Pardi* Episcopi, & Confessoris è Suburbano Luceriæ in Urbem suam intulisse, narrationi historicæ, ac rationi consentaneum est. Decennii spatium, quo Agareni eas regiones infestarunt, utrique Populo meditata exsequendi opportunitatem tribuit. Quo autem ab Larinatibus id peractum est, ritus, veteri Catholicæ Ecclesiæ mori omni prorsus ex parte congruit. Locus verò, atque Instituti ratio postulat, ut Larinatum, ac Lesinensium antiqua monimenta, quæ ad memoratos Sanctos Martyres *Primianum*, & *Firmianum* pertinent, enarremus, ut hac etiam in parte *S. Pardi* Vita illustretur, quam non ita exactè ab aliis ad hanc usque diem pertractatam comperimus. II. In-

II. Inter fortissimos Jesu Christi Martyres, qui Frentanorum Regionem, & Urbem Larinum Diocletiano imperante, Evangelica prædicatione, ac glorioso Martyrio illustrarunt, cum primis habentur *Sancti Primianus*, *Firmianus*, *&* *Castus*, Fratres germani. In Archivo Ecclesiæ Larinatis prostat Codex XII. circiter Christi seculo exaratus, exhibens illorum Vitam, & Acta, quorum initium est: *Temporibus Diocletiani*, *&* *Antonini Imperatorum*. Sed ea spuria omninò sunt, multisque gravibus erroribus, & putidis fabulis infecta. Qui veritatem in Sanctorum factis illustrandis unicè quærimus, has labes arcemus, & contemnimus. In ipso Codice ipsorum Natalis consignatur Idibus Maii: *S. Casti* verò die sequenti. Idem habent vetera Ecclesiæ Larinatum, & Lesinensium Calendaria: Sequens præterea recitatur pervetustum Epitaphium, quod primario insculptum fuit Sanctorum Martyrum tumulo, nec uno nomine Ecclesiasticam antiquitatem, & simplicitatem redolet.

☩ IN PACE . CHRISTI .
LOCUS . PRIMIANI . FIRMIANI .
ET CASTI . MM. QUI . PASSI . SUNT .
SUB . DIOCLETIANO .

III. Quod ad Martyrium, & mortis genus attinet; constans est utriusque Ecclesiæ traditio, eos coram Præside Christianam Fidem confessos, equuleo fuisse tortos, ac demum obtruncato capite ad Christum migrasse. Historiam hanc ostendit & antiqua Pictura Templi Sanctorum *Firmiani*, *&* *Primiani* Lesinensis: quæ anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, jussu Horatii Græci Lesinensium Episcopi pietate, doctrina, & eruditione

ditione clari, ad confovendam Populi Religionem æneis typis expressæ hos etiam subjectos habet versus.

CHRISTUM confessi subeunt tormenta, securim,
Morte sua vivunt, vivere nosque docent.
Felices illi qui Sanctè Numen amarunt,
Felices erimus, si sic amemus item.

IV. In antiqua Urbe Larino vetus item fuit Templum *S. Primiani* Martyris, tribus distinctum navibus cum ædificiis circumpositis: è cujus ruderibus parva nunc ædes constructa visitur, quæ primævam Sanctorum Martyrum memoriam servat sepulchri Longobardis dominantibus opulenta illa erat, ac nobili Monachorum ex Ordine S. Benedicti aucta Cœnobio. Exactis deindè Monachis cessit juri Hierosolymitanorum militum, retinetque hodieque titulum *Commendæ S. Primiani*, cum pingui dote annua ducatorum quatuor millium. Cujus etiam ditionis est Oppidum Aquaviva, duodecim ferè passuum millibus Larino distans, positumque in Diœcesi Guardiæ Alferiæ.

V. Nono Christi labente seculo postquam Agareni Larinum vastassent, vacua Civibus Urbe, ex eadem Ecclesia Corpora Sanctorum Martyrum *Primiani*, & *Firmiani*, à Lesinensibus furto sublata sunt; atque in novum Lesinæ Oppidum deportata, ut discimus ex utraque Vita *S. Pardi*. Honore digno in Templo principe sacra Pignora Cives collocarunt. Martyres suos apud Deum patronos legerunt: Templumque ipsum *S. Primiani* nomine appellarunt: Ubi deinceps Lesinenses Antistites Episcopalem etiam Cathedram posuere. Godefridus Henschenius Tom. 3. ad diem 28. Mensis Aprilis pag. 575. de Lesina loquens. *Condita* (inquit) *hìc jacuere Sanctorum Martyrum Alexandri, Firmiani, Primiani, & Tellurii Corpora .... in Cathedrali Ecclesia,*
quam

quam uni eorum, Sancto videlicet Primiano *dicatam, elegantis formæ, vetustique operis Crypta, marmoreis columnis fulta sustentabat. Exornabatur illa aris suis, & singulorum Sanctorum sculptis Imaginibus: ad quarum latera contractæ in Compendium literæ, Martyrum nomina exprimebant*. Quæ in Zophoro absidis veteris Templi legebantur carmina idem fere comprobant.

✝ QUOS. SOTIAT. FIDEI. MERITUM. QUOS. GLORIA. COELI.

CORPORIBUS. PAUSANT. SACRO. SUB. TEGMINE. TEMPLI.

PRIMIANUS. ITEM. FIRMIANUSQ. VERENDUS.

FORTIS. ALEXANDER. SIMUL. ET. TELLURIUS. ALMUS.

MARTYRIO. CLARI. LESINAE. TUTAMINA. GENTIS

ORENT. PRO. POPULO. DOMINUM. ET. MALA. CUNTA. REPELLANT.

VI. In hac Urbe quotannis magna cum celebritate illorum dies festus agebatur, finitimorum etiam Populorum frequentia, ac Religione clarus. Qua de re perspicuum nobis suppeditat Testimonium Auctor Historiæ Translationis Corporis S. Adami Confessoris ab Anonymo Viro erudito, atque coævo scripta anno Domini Millesimo centesimo secundo Tom. 1. Sanctorum Junii apud Bollandianos pag. 363. num. 1. *Fuit* (inquit) *vir quidam religiosus Benedictus nomine, timore Dei, atque amore repletus, qui animum suum, ac voluntatem circa divina præcepta libenter exercebat, & plura venerabilia Sanctorum loca per singulos annos devotè requirebat. Accidit autem, ut festam Beatorum Martyrum* Primiani, *& Fratrum ejus, ut mos est, ab Ecclesia annunciaretur. Ipse hæc audiens, gaudens, & exultans, ad tantæ festivitatis venerationem se præparavit, atque honestè Lesinam pervenit veneranter.*

VII. In

VII. In veteribus *statutis Communitatis Lesinæ anno Domini* Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio confirmatis à Ferdinando I. Aragoneo Neapolitanorum Rege §. III. Indicatur *Festum* ipsum *Sanctorum Martyrum* Primiani, & Firmiani *Patronorum à Lesinensibus celebrandum die* XV. *Maii cum Processione solemni, & cursu navicularum expensis universitatis, præcedente vigilia cum jejunio, juxta solitum, & consuetum.*

VIII. Et alibi in vicinis, & circumpositis Regionibus eorumdem Sanctorum Martyrum memoria viguit. Inter Ecclesias, quæ XI. exeunte Jesu Christi seculo juris erat illustris Cænobii S. Joannis in Venere Ordinis S. Benedicti, in Indiculo, jussu Joannis Abbatis ejus nominis II. confecto anno Domini *Millesimo nonagesimo tertio*, Indictione XIII. memoratur. *In Comitatu Pinnesi, Eclesia Sanctorum* Primiani, & Firmiani *Martyrum prope Insulam piscariæ. In Ecclesia Monasterii S. Stephani ad rivum maris non longè ab Urbe Histoniensi, præcipuum tantorum Martyrum fuit Altare sacris ipsorum ditatum reliquiis.* Quæ Augusto mense anni quingentesimi sexagesimi septimi supra millesimum à Turcis incensa, atque vastata: quum jussu sacrorum Præsidum Altaria diruerentur, ne in iis clausa Sanctorum pignora indecenter putrescerent, ac proculcarentur, inventa est capsula plumbea cum inscriptione sequenti, ut liquet ex publico Instrumento ea de re scripto à Notario Philippo Leonardello Turinensi.

✝ ANNO DNI MCLXXVII. IND. X. DIE XV.

MENSIS AUG. IN SOLEPNITATE B. M. SPER. VIRGINIS.

HALASIUS DEI GRA EPISC. GUARDIENSIS HOC

ALTARE DEO CONSECRAVIT IN ONORE SCORUM.

PRIMIA-

PRIMIANI. FIRMIANI, ET CASTI MARTYR. ET ILLOR. PATROCINIA IN EO REPOSUIT.

† PAX. † HUIC † DOMUI.

VIII. Quum oppidum Lesinæ una cum Templo, ubi Sanctorum Martyrum Corpora servabantur, donatum fuisse à Margarita Dirrachina, Caroli III. Neapolitanorum Regis vidua, & Ladislai matre hospitali domui Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo Nunciatæ Neapolis, ipsumque Templum Lesinense vetustate fatisceret, sacræ domus Præsides, ac Moderatores, anno Domini MDXCVIII. Aurelium Marram nobili natum genere Sacerdotem, ad sarciendum, ac reparandum ædificium Lesinam allegarunt. Qui mali comperta magnitudine, ne Sanctorum Martyrum corpora, quæ in illius Crypta servabantur, cadentium murorum detrimento essent obnoxia, re cum Præsidibus communicata, de illis effodiendis, ac Neapolim transferendis decrevit. Idcircò qua decuit pia cura, & reverentia operi manum admovens, ubi primùm sacram Cryptam est ingressus, suavissimum odorem efflari sensit. Post aliorum verò Sanctorum inventa, & extracta Corpora, quid demum de Reliquiis Sanctorum *Primiani*, *& Firmiani* actum sit, ipse Aurelius Marra in Historia Inventionis illorum, Italicè scripta, & à Jo: Bollando latinè vulgata ad diem IX. Februarii Tom. 2. p.339. num. 14. His verbis narrat. *Die secundo Martii* MDXCVIII. *Sub horam* XVI. *Appulit Lesinam unus è Gubernatoribus dictæ Neapolitanæ domus, cum Nuntii Apostolici*, quæ cum meque exequi oporteret, *mandatis. Cum ei Reliquias suprascriptas, eodem planè, quo inventæ fuerant, modo reconditas, coram multis testibus, atque iis ipsis, qui primæ Inventionis interfuerunt, ostendissem, reliquum medii Al-*

 taris,

taris, ut à me cæptum erat, dirutum; atque effoſſa ad palmos quatuor humo, inventa Capſa marmorea tres longa palmos, lata duos, diverſa à cæteris forma, ſcrinio ſimilis, in qua SS. Primiani, & Firmiani *oſſa inventa: inque ima operculi parte inſculpta hæc verba*: S. PRIMIANUS. S. FIRMIANUS. *Itemque in plumbea Tabella*: SS. PRIMIANUS. ET. FIRMIANUS. *Editis religioſæ alacritatis, & lætitiæ indiciis, uti cæteræ Reliquiæ eadem quoque ex cauſa opertæ etiam hæ ſunt, & reconditæ. Die* IV. *Martii exemptæ Reliquiæ omnes, relicta tamen in eadem Confeſſione, ſeu Crypta parte ſingularum aliqua. Et multis è Capuccinorum familia, aliiſque concinnentibus, cereoſque accenſos manu geſtantibus, quanta eo in loco fieri potuit ſolemnitate, impoſitæ tribus thecis, operculo arcuato inſignibus, byſſo candida intus munitis, ad eam rem Neapoli allatis, & Neapolim devectæ, in Eccleſia Pietatis ad gradus S. Joannis de Carbonaria depoſitæ ſunt, donec majori apparatu ſupplicatio inſtitueretur, ut ad Eccleſiam Annunciatæ Romano Pontifice annuente, transferrentur. Sunt quoque in publicum narratæ jam rei teſtimonium, Neapolim advectæ ipſæ marmoreæ Capſæ, in quibus repertæ Reliquiæ fuerant*. Hæc Marra.

IX. Godefridus verò Henſchenius Tom. 3. ad diem XXVIII. Menſis Aprilis agens de ipſis Sanctis Martyribus *Alexandro*, *Firmiano*, *Primiano*, *&* *Tellurio*, Leſina Neapolim tranſlatis num. 5. pag. 536. ſcribit. *Coluntur Neapoli Officio ſemiduplici. Ita Catalogus Sanctorum in Eccleſia, & Diœceſi Neapolitana celebrandorum, editus anno Domini* MDCXIX. *juſſu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Decii S. R. E. Cardinalis Caraſæ Archiepiſcopi Neapolitani, in quo Menſe Aprili hæc leguntur*. XXVIII. Aprilis Sancti Martyres Alexander, Firmianus, Primianus, & Tellurius ſemiduplex. Omnia de communi pluri-

plurimorum Martyrum tempore Paschali. Missa de communi sine Credo. Oratio. *Deus qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum Alexandri, Firmiani, Primiani, & Tellurii natalitia colere; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere: Per Dominum nostrum &c.* Acta, *& Natalis dies horum Sanctorum Martyrum non habentur. Itaque dies Translationis celebrandi sunt. Servantur sacræ eorum Reliquiæ in Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ illuc hac die translatæ è diruta Civitate Lesina permissu Apostolicæ Sedis: extantque acta Inventionis, & Translationis eorumdem.*

X. Sub finem elapsi Ecclesiæ seculi, quum Lesinæ decentèr instaurata fuisset, & ornata *S. Primiani* Basilica, anno MDCXCVI. die XI. Mensis Decembris, eam solenni ritu dedicavit *Fr. Vincentius Maria Ursinus*, Ordinis Prædicatorum, S. R. E. Cardinalis, & Beneventanus Archiepiscopus, deindè Sum. Pontifex Benedictus XIII. Cujus rei præcipuum exstat monimentum in Tabula marmorea affixa laterali muro, propè Altare majus ipsius ædis sacræ sequentis exempli.

ECCLESIAM HANC AB IPSIS ERECTIONIS INCUNABULIS IN CATHEDRALEM ERECTAM. AC SAMNII METROPOLITANÆ SUBIECTAM. DEINDE PIO II. ANNO MCCCCLIX. EIDEM UNITAM POSTMODUM DENUO AVULSAM. DENUO UNITAM. FUNCTO HORATIO GRÆCO APULO ULTIMO PRÆSULE. QUI TRIDENTINO CONCILIO. ET PROVINCIALI SABELLIO INTERFUERAT. POST ANNUM MDLXXI. SEMEL ATQ. ITERUM UNITAM. ET POST UNIONEM NULLIUS PRORSUS ANTISTITIS VISITATIONE LUSTRATAM PERINDE

AC EPISCOPALI DIGNITATE EXTINCTA: EXTINCTI ESSENT QUI VISITATIONEM OBIRENT ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM PRÆBERENT EPIS. F. VINCENTIUS MARIA ORD. PRÆDICATOR. CARD. URSINUS. S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS BASILICAM QUARTA VICE VISITATAM. ET CONCINNATAM IN HONOREM DEIPARÆ AB ANGELO ANNUNCIATÆ SOLEMNI POMPA DEDICANS DIE XI. DECEMBRIS MDCXCVI. CUM PRINCIPE ARA IN HONOREM EJUSDEM B. MARIÆ VIRG. AC SS. PRIMIANI MART. DOMINICI, AC PHILIPPI NERII CONFESSORUM SACRAVIT. AC OMNIBUS FIDELIBUS IPSAM VISITANTIBUS OCTAVA DEDICATIONIS SAN. METROPOLITANÆ BASILICÆ. IN QUAM ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS TRANSTULIT. CENTUM INDULGENTIÆ DIES IN PERPETUUM CONCESSIT.

XI. Quod ait auctor *Catalogi Sanctorum in Ecclesia, & Diœcesi Neapolitana celebrandorum* editi anno superioris seculi undevicesimo: *Horum Sanctorum Martyrum non haberi acta, neque Natalem diem*. De actis sinceris verum est; at de die Natali falsum. Nihil enim apud Apulos, atque Frentanos eo notius. Ab Larinatum Ecclesia certis plenisque documentis instructa ex more veteri, apud Lesinenses quoque olim piè servato, celebratur quotannis dies festus natalitius *S. Primiani* Martyris ritu duplici de communi unius Martyris, xv. Maii: coliturque idem Martyr uti Patronus minus principalis Civitatis. Sequenti verò die festum agitur Sanctorum *Firmiani*, &

Casti

Casti ritu semiduplici de communi plurium Martyrum. Antiquitus tamen uno omnes die colebantur. Vetus Martyrologium, quod duodecimo Jesu Christi seculo usui fuerat Termulensi Ecclesiæ, *Idibus Maii* Natalem diem, festum eorumdem Sanctorum Martyrum apud Larinates his verbis nunciat. *Alarini Natalis Sanctorum Martyrum Primiani, Firmiani, & Casti, qui passi sunt sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano*. In Tabulis Salvatoris Pinti Notarii, servatis Neapoli in Archivo Regiæ Cameræ, prostat etiam publicum Monimentum Annui Mercatus, qui ad augendam celebritatem diei Natalitii memoratorum Sanctorum Martyrum peragi Larini consuevit, quemadmodum nunc fit, à die XIII. ad XVIII. Mensis Maii, magna cum finitimorum, aliorumque populorum frequentia. Sancti *Casti* Corpus majori ferè ex parte hodièque Larini servatur in Cathedrali Basilica. Aliis enim ipsius Reliquiis multa Oppida, præsertim verò Diæcesis Larinensis, ditantur, ubi non minori religione colitur.

CAPUT XVI.

Dies Translationis Corporis S. Pardi *Larinum ex Suburbano Luceriæ incidit in sextum, & vicesimum Mensis Maii. Idem quotannis Festus à Larinatibus deinceps est habitus, multiplici cultu, & veneratione insignis. Miraculum eadem occasione editum, & à Radono narratum, aliis Ecclesiæ Larinatum monimentis asseritur.*

I. Dies Translationis *S. Pardi*, quamvis non indicetur in hac historia, ex antiquis tamen monimentis Ecclesiæ Larinatum constat, illum fuisse sextum, & vicesimum Mensis Maii, quo anniversaria commemo-

memoratione recolitur. Ughellus Tom. 8. Italiæ sacræ de Larinatibus loquens col. 435. *Translationis diem* (inquit) *celebrant* xxvi. *Maii veluti Civitatis*, & *Diæcesis Patroni*. Cartusianorum Bruxellienſium ſupplementa ad Martyrologium Græveni memorata ab Henſchenio in Commentario prævio ad Vitam *S. Pardi* num. 2. Translationem ipſam conſignant, fortè per errorem, die ſequenti xxvii. Maii. In præcipuæ Religionis, & grati animi argumentum dies ipſe quotannis feſtus à Larinatibus deinceps eſt habitus, multiſque modis inter Cives cultu, & veneratione diſtinctus. In Teſtamento Luffridi Presbyteri Larinatis Capite xviii. rurſus citando, quo, *anno Dominicæ Incarnationis* mlxxxi. Varia bona largitur, Eccleſiis *pro remiſſione peccatorum ſuorum*, legati nomine relinquit *ſquifatos quatuor ad faciendam luminariam in vigilia*, & *in die Feſto* S. Pardi, *quod fit in menſe Madio*.

II. Eodem die feſto *S. Pardi* celebrato Menſe Majo, Cathedrali Eccleſiæ, & Epiſcopali Menſæ ſolvebantur Canonicæ oblationes, aliique proventus annui, Epiſcopo debiti in argumentum præeminentiæ, ſuperioritatis aut dominii à ſubjectis Monaſteriis, Eccleſiis, locis piis, & emphiteutis: ut liquet ex Bulla Lucii Papæ III. quæ bona, jura, & proventus Epiſcopalis Eccleſiæ Larinenſis aſſerit, & Apoſtolico munit patrocinio, *data tertio Calendas Martii anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo primo*: ex publico Inſtrumento concordiæ die xiv. Januarii *anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo* ſtabilitæ inter Robertum Epiſcopum Larinatum, & Magiſtrum, atque Rectorem Capituli, & Hoſpitalis domus S. Antonii Viennenſis, ex Diplomate Stephani Epiſcopi Larinatum, quo anno ejuſdem ſeculi xl. Paulo Abbati, & Fratribus Monaſterii Caſæmarii concedit *Eccleſias SS. Bartholomæi*,

& *Viti*

& Viti in Molianello: aliisque pluribus diversi generis monimentis, quæ in Archivo Episcopatus Larini, & alibi in ejus Diæcesi servantur. In Tabulis Concordiæ initæ per Arbitros utrimque delectos inter Beltrandum Episcopum Larinatum, & Capitulum suæ Ecclesiæ *anno millesimo trecentesimo sexagesimo octavo*, antiqua, & laudabilis consuetudo comprobatur, atque in posterum exactè servanda statuitur, ut omnes Abbates, Archipresbyteri, & Rectores Ecclesiarum Diæcesis Larini quolibet anno, die festo *S. Pardi*, visitent Cathedrale Templum ejusdem Civitatis, ubi Corpus ipsius Sancti servatur, & quiescit.

III. Præterea in argumentum amplioris charitatis, ac festivæ celebritatis sicuti *diebus festis Natalis Domini Nostri Jesu Christi, Resurrectionis, & Ascensionis ipsius, Dominicæ Pentecostes, & B. Mariæ Virginis in Cœlum Assumptæ*, ita & in *festivitate* S. Pardi ab Larinatum Episcopo Dignitates, & Canonicos universos Cathedralis Ecclesiæ suæ singulis annis prandio excipi consuevisse, eædem testantur Concordiæ Tabulæ. Festum ipsum *S. Pardi* celebrius reddiderunt Summi Principes Nundinis, quæ magna cum Populorum frequentia quotannis Larini peragi consuevere. Ne quid autem Religiosæ solemnitati deesset honorificum argumentum eamdem diem etiam *Vigilia*, & *jejunio* Cives majorum exemplo præveniunt. Constanterque ex pia, & libera voluntate in universa Diœcesi servando mori Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Joannes Andreas Tria Episcopus in Synodalibus Constitutionibus suis par. 3. cap. 6. num. 9. Pastoralem adhortationem, & monitum addidit.

IV. Prodit Radonus, antequam sacrum Corpus Larinum introduceretur, repente vectores subsistere divina virtute fuisse coactos, nec ultrà potuisse progredi, prius-

priusquam enixis precibus id à Deo per *Sanctum Pardum*, effusa obviam Civitas impetrasset. Idem miraculum anaglypho expressum opere hodieque spectare licet in pervetusto pulpito Templi Cathedralis Larini, & in aliis antiquis picturis ipsius Ecclesiæ. Ex quibus publicis monimentis deprehendimus, Radonum rem ipsam apud Larinates cives suos maximè illustrem scriptis mandasse. Quod, quia alius antiquior Vitæ *S. Pardi*, Scriptor Anonymus prætermisit, eo nomine posteritatem potissimè sibi devinxit.

CAPUT XVII.

Templum B. Mariæ Virginis, in quo Corpus S. Pardi, *temporario Sepulchro conditum est, fuit Cathedrale dicatum Deo in honorem B. Mariæ Dei Genitricis. Refelluntur qui censent fuisse Ecclesiam* S. Mariæ de Plano, *vel in* Monumento.

I. TEmplum B. Mariæ Virginis, in quod *S. Pardi* Corpus inlatum est, ibique primùm à Larinatibus collocatum, donec præcipuam in ejus honorem ædificarent Basilicam, fuit Cathedrale, & in Urbe primarium, ut constat ex pluribus antiquis cartis Episcopatus Larini, tùm etiam ex Diplomatibus Summorum Pontificum, in quibus Larinensis, sive Alarinensis Ecclesia, quæ erat olim Episcopalis Sedes, dicitur *Beatę Dei Genitricis Mariæ*, & etiam *Episcopatus Sanctę Mariæ*. Idem liquet ex Diplomate Donationis Roberti Comitis Nortmanni, qui Episcopatum ipsum bonis Feudalibus Vassallis, juribus, & annuis proventibus augens, ea se donare profitetur *in honorem Dei, Larinensi Ecclesię Sanctę Dei Genitricis, & Virginis Mariæ* pro *anima sua*. Diploma datum

datum est Mense *Januarii Indictione* XII. *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, & septuagesimo quinto*.

II. Quamvis autem aliæ essent Larini Ecclesiæ in honorem B. Dei Genitricis exstructæ; quæ tamen Episcopalis, & Cathedralis erat, veluti per Antonomasiam, & excellentem dignitatem, qua cæteras anteibat absolutè *Ecclesia*, sive *Templum S. Mariæ* appellari consuevit. Contra aliæ, ut ab æde ejusdem Virginis principe, & inter se distinguerentur, cum addito, & locorum indicio nominari solebant. Quod potissimè ab iis animadvertendum est, qui res antiquas Larinensis Civitatis illustrant, ne quo absurdo intervertant, & labefactent historiam.

III. Nonnulli censent, Ecclesiam Beatæ Mariæ totius Urbis principem, & Cathedralem, non aliam fuisse, quàm ædem *S. Mariæ de Plano*: cujus mentio occurrit, sæpenumerò in antiquis Scripturis Larini, ac etiam apud Leonem Ostiensem. Inde præterea *S. Mariæ de Monumento*, sive *Monumenti*, appellatam contendunt, quòd in ea *Monumentum*, aut *Sepulchrum S. Pardi* extaret, ac frequenti Populi veneratione coleretur. At verò Ecclesiam ipsam à Leone memoratam longè aliam à Cathedrali Templo extitisse, indè potissimum licet arguere, quod illa proprii Juris, & quidem *Laicalis Patronatus* erat cujusdam *Rapti*, sive *Rappoti* (ut legendum monet Angelus de Nuce in Notis) *Nobilis Termulensis*, à quò cum omnibus rebus suis Casinensi Cœnobio donata est sub annum Reparatæ Salutis humanæ *millesimum*, *atque trigesimum* Theobaldo Abbate: Leonis in lib. 2. cap. 54. hæc verba sunt: *Raptus quoque Nobilis quidam Termulensis obtulit in hoc Monasterio omnes res suas, & Curtes, quas in Larino possidebat cum ipsa Ecclesia S. Mariæ de Plano*.

IV. Quod autem Ecclesia *S. Mariæ in Monumento*

diversa *à S. Maria de Plano* fuerit ædes, & ipsa ad jus patronatus certorum civium pertinens: Indicatum præterea cognomentum non loco eidem sacro *S. Pardi Sepulchrum*, sed ità appellata Urbis regio, sive Portio, vulgo *Quartiero*, & *Contrata* constructis in ea *Domibus*, & *Ecclesiis Curtibus*, *hortisque* promiscuè, atque indiscriminatim tribuerit, res adeò clara est, ut nulla fere in Larinatum antiquitatibus sit exploratior. Duo è pluribus proferemus antiquorum testimonia, ut putidissimum refellamus errorem vulgi, ad commenta, & fabulas proni. Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. II. Cap. 32. sub Annum Domini MXV. agens de *Abbate Atenulpho*, scribit: *Stephanus quoque*, *&* *Silvester Presbyteri Larinensis Civitatis* obtulerunt in hoc Cœnobio Ecclesiam suam vocabulo *S. Maria*, *loco ubi dicitur Monumentum*: *Indiculus Ecclesiarum*, *&* *Bonorum stabilium* Monasterii S. Joannis in Venere in Frentanis, jussu Joannis II. Abbatis confectus *Anno Dominicę Incarnationis* MXCIII. *Indictione* XIII. alibi à nobis citatus. *In Civitate Alarinensi Domus terranea cum Curte Avipullaria*, *&* *horto*, *juxta murum Civitatis in vicinio Monumento*.

CAPUT XVIII.

In novam Ecclesiam ejus nomine Deo Sacram paulò post Larini erectam, S. Pardi *Corpus transfertur nono exeunte seculo*, *ubi multis deinceps miraculis claret*.

I. Novam *S. Pardi* Ecclesiam, quum *non post multos dies* Larini excitatam prodat Radonus cap. x., id nono exeunte seculo factum intelligimus, quando ex priore Templo B. Mariæ Virginis in recens translato S. Episcopi Corpore, Deus Optimus Maximus

servi

servi sui meritum frequentibus miraculis illustravit, locumque ipsum hoc item nomine apud Larinates, exterosque Populos inclaruit. De his omnibus antiquioris, ac brevioris vitæ auctor Anonymus: *Ingredientesque Civitatem Larini, Sacrum Corpus Beati Pardi Episcopi posuerunt in Ecclesia S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ usque quo sibi dignam fabricarent Ecclesiam. In qua non post multos dies positus, Omnipotens Dominus suis fidelibus multa beneficia præstat per eum usque ad hodiernum diem.*

II. Eadem Radonus citato nuper capite his verbis narrat. *Et omni cum honore introduxerunt in Larinensem Civitatem Corpus* B. Pardi *Episcopi, & posuerunt eum in Ecclesia S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ usquequò sibi dignam fabricarent Ecclesiam in qua poneretur. In qua non post multos dies positus est. Et omnipotens Dominus suis fidelibus multa beneficia præstat per eum usque in hodiernum diem.* Quæ fuerint hæc beneficia à Deo collata fidelibus per meritum *S. Pardi*, mox uterque Scriptor ad alteram Ungarorum in Larinates impressionem aliqua saltem ex parte memorat, posterior ab antiquiore describens. Cæcæ autem feminæ illuminationem. *Post non multos annos, ad sepulchrum ejus* divinitus factam, sequioris ævi opportunitate usus Radonus Capite extremo sui Opusculi solus recenset.

III. Ipsa prima Ecclesia *S. Pardi* constructa Larini memoratur in charta donationis Luffridi Presbyteri Larinensis pro Monasterio S. Joannis in Venere. *Scripta per Rogerium quondam Pauli Levitam die* v. *mensis Junii anno Dominicæ Incarnationis* MLXXXI. *per Indictionem quartam.* Domos enim Luffridus designans, quas ipsi Monasterio pro Amore Dei, & remissione peccatorum suorum cum aliis bonis attribuit, positas dicit. *In eadem Civitate Larinensi propè Ecclesiam* S. Pardi *Episcopi, intra cor-*

rivium ejusdem S. Pardi *ex parte Plani*. *Corrivium* Urbis partem appellat, quam nos vulgo *Contrata* dicimus: cui idem *S. Pardus* ratione Ecclesiæ suæ nomen indidit.

CAPUT XIX.

Eadem Ecclesia ruinas minante, alia mole, & opere spectanda erigitur in honorem Beatę Mariæ Virginis, & S. Pardi; *in eamque ejus Corpus transfertur. Auctores notantur, qui hoc Templum cum antiqua Basilica Cathedrali confundunt.*

I. HAC æde temporum injuriis, ac vetustate labente, alia in eadem Urbe, mole satis ampla, ex quadratis lapidibus constructa est, in honorem B. Mariæ Virginis in Cœlum Assumptæ, & *B. Pardi* Episcopi, anno post natum Salvatorem millesimo trecentesimo undevigesimo, ut liquet ex Inscriptione sequenti expressa in marmore, anteriori ipsius fronti affixo.

PER . PRÆSENS . SCRIPTUM . PLANE . TEMPORA . NOSTRÆ . LOCATIONIS . HABEBIS . ✠ A. D. MCCCXIX. ULTIMO . JULII . IN CHRISTO PONTIFICATUS . DNI . NRI . JOHANNIS PP. XXII. ANNO III. REGNORUM . SERENISSIMI . REGIS . ROBERTI . ANNO II. SUB . PRÆSULATU . RAGONIS . DE . CONTESTABULO . HUJUS . CIVITATIS . EPI . OMNIBUS . MEMORIAM . FECIT .

II. Explicatione proindè indiget quod Henschenius citato paulo ante loco scribit num. 1. *Larinum, sive Alarinum Urbs olim Frentanorum .... licet parva sit, proprio tamen gaudet Episcopatu. Cathedralis Ecclesia amplę*

amplæ ex quadrato lapide structuræ S. Pardo *Episcopo dedicata est, ubi sacrum ejus Corpus asservatur*. Justa censura multo magis perstringendus est eruditissimus Orlendius, qui in opere posthumo inscripto *Orbis sacer, & profanus illustratus* par. 3. lib. 4. cap. 22. num. 7. memoriæ prodit. *Cathedralis Ecclesia medium Urbis tenet, eaque satis ampla est ex quadrato lapide ædificata*. In illa *quondam quiescebant Corpora* Sanctorum Primiani, & Firmiani. *Sed Larino à Saracenis devastato, Lesinenses magno impetu Civitatem ingressi, indè prædicta Sanctorum Corpora transferentes, in Lesinam deportaverunt. Horum loco postmodum Larinenses Corpus* B. Pardi *Episcopi propè Luceriam repertum, in Cathedralem suam transtulerunt, quam & ipsius nomine dedicarunt*. Hæc ille, quibus perspicuum est, duas distinctas Ecclesias minus rectè confundi.

CAPUT XX.

Anno Domini DCCCCXXXVII. *Ungari, Gens barbara, & impia* Larinum *invadunt, atque diripiunt. Historia aliorum antiquorum testimonio illustratur. Anno* DCCCCXLVII. *Ungari iterum* Frentanos, & Larinum *infestant*.

I. Tempus, quo Dominus permisit flagellari Italos *pro suis iniquitatibus flagellis Paganorum*, & ab Ungaris *graviter oppugnari Larinum, & depopulari usque ad internecionem*: Annum noni seculi tricesimum septimum Auctor noster intelligit. De hac Barbarorum in *Frentanos* irruptione Author Chronici Monasterii S. Stephani ad Rivum maris designato anno. *In mense Majo Ungari fecerunt incendium in Stonio, & depreda-*

predaverunt universas Terras per circuitum. *Innumerabiles Ungaros eodem* anno *Beneventanam Regionem depopulatos fuisse*, testatur Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. 1. cap. 54. Ignotus Barensis citatus ab Angelo de Nuce in notis ad idem Chronicon rem ipsam comprobat, licet minus exactè in annum præcedentem referat. *Ungari* è Scythia in Pannoniam transgressi, indè vulgò nomen sumsere.

II. Annales Bertiniani ad annum Christi DCCCC., & Agathias in historia Avaros appellant. Alii alio eos produnt nomine, ut videre licet apud Ortellium *in Lexico Geographico* Verbo *Abares*, & *Unni*. Quæ Gens à Radoyho cap. XI. *Pagana* dicitur, ab Auctore Chronici Nonantulensis apud Ughellum in Tom. 2. Italiæ sacræ appellatur *perfida*, & *servientibus Deo invida*: Ut proinde mirum non sit, tam crudeliter *Larini* sæviisse, nec minus humana, quam divina violasse. Alia Ungarorum in *Frentanos* impressio in citato Chronico Monasterii S. Stephani ad annum Jesu Christi DCCCCXLVII. memoratur his verbis. *In mense Aprilis venerunt Ungari de partibus Piscariæ deprædantes*, & *devastantes omnia*. *Factum est*, *prælium contra eos in finibus Apuliæ*; & *Beneventani fugati sunt ab Ungaris*. Lupus Protospata ad annum DCCCCXLVI. *Introjerunt Ungari in Italiam*, & *perrexerunt usque Hydruntum*. Ad hoc autem tempus sunt referenda, quæ capite XII. Vitæ *S. Pardi* narrantur.



CA-

CAPUT XXI.

Translationes variæ Corporis S. Pardi *Larini factæ ab Episcopis ex antiquis monimentis ordine Chronico recensentur.*

I. TRanslationem Corporis *S. Pardi* è suburbio Luceriæ in Ecclesiam B. Mariæ Virginis Larini, atque indè in ædem ejus nomine structam, Anonymus Auctor, tum etiam Radoynus Cap. x. memorant. Eadem Ecclesia fatiscente, nova in honorem B. Dei Genitricis, & *S. Pardi* excitata fuit, quò ipsius Sacrum Corpus inlatum est, marmoreo exceptum tumulo, rei indice apposita Inscriptione sequenti. CORPUS S. PARDI . EPISCOPI . HIC REPOSITUM . ANNO . DOM. MCCCXX. INDICT. IV. Urna sub Altari maximo collocata fuit in cellula, nulli posthac obvia, & occlusa. Centum septuaginta post annos reserata eadem ædicula, & arca marmorea DIE VIII. MAII. INVENTUM FUIT. CORPUS . S. PARDI . A. MCCCCXCII. ut totidem verbis legebatur in tabula muro affixa. A *Bonifacio* Larinatum Episcopo in sinistræ alæ principio subterranea formata crypta: ibique proprio, atque eleganti erecto Altari, sub eo ita locata est urna vetus; ut universis pateret. Sæpè proindè à successoribus Episcopis reserata fuit, ac sacræ extractæ Reliquiæ, quo piorum hominum Religioni fierat satis.

II. Id indignè ferens *Persius Caraccius* Episcopus, sacra rursus amota urna, eam sub fornice Altaris, elegantiùs ornato, ac ferreis cancellis clauso, condidit: nonnullis sumtis ossium frustulis, quæ subindè aliis distributæ, multas Diœcesis, & exterarum Regionum Ecclesias

ſias ditaverunt : in muro ſupra feneſtram hoc addito monimento .

✠ CORPUS . S. PARDI . ANTIQUITUS SUB . HOC . FORNICE . IN . ARCA . MARMOREA . CANCELLATO FERREO MUNITA CONDIDIT. ILLUSTRISSIMUS . ET REVERENDISSIMUS D. PERSIUS . CARACCIUS . EPISC. LARINEN. ET EXTRACTIS . EJUS MANDATO . NONNULLIS . PEDUM . OSSICULIS . CUM . EXPERIMENTO COMPERTUM SIT . VENERANDAS . RELIQUIAS . SACRI CORPORIS ANTEA . RAPINIS . EXPOSITAS . FUISSE. UT IN POSTERUM . RAPACISSIMAS . MANUS AB IPSIS . ARCERET . FENESTELLAM . SUPRA ALTARE . HACTENUS . APERTAM . EX . LATERIBUS . CLAUDI . MANDAVIT . DIE XXVI. MENSIS MAII . A. MDCXLI.

III. Præterea quum locus ipſe humens deformior in dies evaderet, parumque decens fieret Sacro cuſtodiendoCorpori : fornex præterea, & muri labefactati ruinas minarentur, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, tertio Idus Maii *Joſeph Catalanus* Epiſcopus Larinas, rurſus *S. Pardi* ſepulchralem urnam priori loco dimovit : parataque eleganti capſula Cypreſſina, in interiori parte ſerico panno rubeo tecta, in exteriori verò aurato diſtincta opere, ac tribus occluſa tabulis cryſtallinis, in ea undecimo poſt die, ſolemni pompa, ſummaque celebritate Sacras Reliquias collocavit ; duabuſque

busque clavibus obseravit; præsentibus *Fabricio Ciancio* Episcopo Guardiensi, Urbis Magistratu, Viriscompluribus dignitate, ac nobilitate præstantibus, & multitudine populi omnis ætatis, conditionis, & ordinis. Quò decentiùs, ac tutiùs eadem urna custodiretur, in alia arca item cypræssina, eleganter picta, & exornata poni jussit, tribusque clausam seris sub Ara maxima vespertinis horis collocari; Quum die toto recurrente festo prioris translationis Sancti Episcopi in nobili thalamo ante Aram ipsam erecto, ac sub umbella circum multis ardentibus cereis luminibus publicæ Christifidelium venerationi patuisset.

IV. Ad annum hujus seculi trigesimum tertium sacrum pignus ità mansit. Quo nobiliore ex lecto marmore excitato Altari principe, nova etiam, ac præstantior Urna ex Ebano, octo tabulis munita crystallinis, per quas sacra Ossa conspici possent, constructa fuit, in eaque ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino JOANNE ANDREA TRIA EPISCOPO Vigilantissimo collocatæ, ritu solenni S. PARDI Reliquiæ. Quæ ut decentiorem haberent Sedem, Cathedrale Templum universum, vetustate abstersa, nobilius reddidit; tùm picturis, marmoribus, opere plastico, & elegantiori architectura exornavit. De memoratis Translationibus Corporis S. PARDI publicæ, atque præcipuæ in Episcopali Archivo Larini servantur Tabulæ, & monimenta, quibus nos in contexendo hoc commentario usi sumus.

FINIS.



APPENDIX

Complectens Vitam, & Monumenta

S. LEONIS

PRESBYTERI, ET CONFESSORIS

Apud Larinates Miraculis clari.

VITA SANCTI LEONIS CONFESSORIS, Monachi, & Sacerdotis.

Ex antiq. MSS. Codic. Ecclesiæ Larinen.



EATUS LEO Christi Confessor natus est Nobilis secundum carnem, sed nobilior fuit virtutibus apud Deum, quibus, gratia adiutus cœlesti, cum in seculo clarere cæpisset, inspirante Domino factus est Monachus S. Benedicti in Monasterio S. Felicis, quod non longe à Cliterniano situm erat. Ibi LEO sanctè vivens, & in Sacerdotio constitutus, multum profecit in assidua S. Evangelii prædicatione, & operatione virtutum: quare servum suum etiam miraculis Deus Omnipotens illustravit. Et demum meritis plenus, & ætate maturus migravit ad Dominum. Et quia non multo post ipsius obitum Monasterium propter graves molestias, & mala plurima assiduo-

rum

rum bellorum, fuit à Monachis derelictum, & ob terræmotuum frequentium magnitudinem, idem cum Ecclesia corruit, ubi ejus Corpus sub quodam Altari reverenter jacebat, Robertus Comes Comitum de Loretello fortè Sacrum Tumulum venando detexit: Et ex eo Corpus extractum ad Ecclesiam S. Mariæ in Pensulis, constructam in Castro S. Martini venerabiliter, & solemniter translatum fuit. In qua precibus, & meritis ejusdem B. Leonis Confessoris Misericors Deus assidua Beneficia largitur fidelibus suis piè supplicantibus. Cui laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum. *Amen*.



DE

DE S. LEONE CONFESSORE

In Codice membranaceo, olim S. Mariæ de Penſulis, nunc Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Apoſtoli Oppidi S. Martini Diœceſis Larinatum Ms. XIII. Chriſti ſeculo.

Die 2. Maii.
In Feſto S. LEONIS Confeſſoris. *Officium de S. Confeſſ. tantùm cum* Oratione *propria.*

In alio Ms. Codice Membranaceo, ferè paris antiquitatis, ſervato in eadem Eccleſia, cui Titulus: *Antiphonæ, & Commemorationes Sanctorum per annum.*

Pro S. LEONE Confeſſore:

Antiphona ad Veſperas: *Hic mundum ſprevit, æternam quærens gloriam amore Creatoris.*

Ad Laudes: *Euge Serve bone.*
Tempore Paſchali *Alleluja.*

ORATIO.

DEus, qui B. LEONEM Sacerdotem, & Confeſſorem tuum miraculis innumeris, & gloria ſublimaſti, concede propitius, ut quem in terris pro ſuffragiis invocamus, interceſſorem apud te in cœlis jugiter habere mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Eadem etiam leguntur in antiquo Antiphonario ſcripto XIV. exeunte Chriſti ſeculo, quod uſui erat per idem tempus Larinenſi Eccleſiæ.

COM-

COMMENTARIUS

AD VITAM, ET MONIMENTA

SANCTI LEONIS

Presbyteri, & Confessoris,

Quo ætas, Natale solum, Vitæ Sanctitas, antiquus cultus, & Corporis translationes illustrantur.

I. QUÆ hic exhibentur Vita, & Monimenta S. LEONIS Presbyteri, & Confessoris ex MSS. Codicibus Ecclesiæ Oppidi S. Martini, ubi ejus Corpus quiescit, & Episcopatus Larinatum sumpta sunt. Iidem duodecimi, vel certè tertii decimi ineuntis reparatæ salutis seculi antiquitatem præferunt: usuique fuerunt Clericis inter Divina Officia anniversaria ejusdem Sancti Confessoris recurrente memoria: Vita brevi scripta calamo, satis jejunè tanti Viri memoriam recolit; nec ipsa omnis expers obscuritatis est. Ut suo tamen fulgore niteat qualiscumque narrata historia, pro viribus operam dabimus; id in tenui studentes unicè, ut antiqua antiquis, & coævis quoad res sinent, testimoniis illustrentur.

II. Constans Larinatum traditio est, scriptis etiam monimentis posteritati tradita, *S. Leonem* Presbyterum, & Confessorem XI. ineunte Christi seculo claruisse: In Cœlum verò migrasse paulò ante Northmannorum in Apuliam adventum. Nec alia putamus fuisse

bella,

bella, quæ paulò post ipsius obitum graves molestias, & mala plurima Cœnobio S. Felicis intulisse in ejus Vita proditur, nisi ea, quæ Northmannos ipsos adversus Græcos, & Longobardos in Apulia, atque Frentanis gessisse memorant Lupus Protospata in Chronico, Gaufridus Malaterra, Alexander Abbas Alesinus, Willelmus Gemmeticensis, Leo Marsicanus, Guillelmus Apuliensis, aliique Historici, editi à Cl. Muratorio in Collectione Scriptorum rerum Italicarum.

III. Licet autem pauca de Virtutibus, ac meritis *S. Leonis* Auctor Vitæ protulerit; ejusmodi nihilominus de utrisque edidit testimonium, quo breviter est multa complexus. Ejus eximiam Sanctimoniam perspicuè quoquè aperit publicus, ac Religiosus cultus non ita multò post mortem illi exhibitus. Genus siquidem adscriptionis inter Sanctos tunc temporis erat, post comprobatum Vitæ meritum Corpora Servorum Dei, Summorum Pontificum, vel Episcoporum auctoritate ex vulgari educta Sepulchro in honorificum locum transferri, ac sub aras sacras publicæ Chisti fidelium Venerationi exponi: ut liquet ex S. Petro Damiani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Ostiensi Episcopo in Vita S. Romualdi Abbatis, S. Leone Papa IX. in Bulla Canonizationis S. Gerardi Episcopi Tullensis apud Mabillonium in Vitis Sanctorum seculi V. Ordinis S. Benedicti pag. 898. & Veteribus Corbejæ monumentis de B. Paschasio Abbate ab Hugone Medardo collectis apud Bollandianos Tomo de Vitis Sanctorum mensis Aprilis pag. 464. De quo ritu post Baronium non uno in loco in Annalibus Ecclesiasticis agunt Phæbeus Archiepiscopus Tarsensis in Dissertatione edita post Acta Sanctorum Petri, & Magdal. pag. 346. Socii Bollandiani Tomo 2. Sanctorum mensis Julii de SS. Godeleva, Arnulpho, Guthagono, &

aliis

aliis pag. 370. de Matta in Opere de Canonizatione Sanctorum par. 1. cap. 3. num. xi. pag. 10. plureſque alii. De miraculis præterea, quibus virtutum merito *S. Leo* à Deo illuſtratus dicitur, locupletiſſimum teſtimonium exhibet Oratio propria, quæ ipſius recurrente die feſto, vel quoties è Clero, piiſque Chriſtifidelibus recolebatur memoria, inter Divina Officia in Larinatum Diœceſi recitari conſuevit.

IV. Antiqua Tabula, quæ nunc picta viſitur in Collegiata, erecta Oppidi S.Martini multa etiam exhibet, quæ illius Sanctitatem, miracula, & religioſum cultum oſtendunt. Hæc ex veteri Eccleſia S. Mariæ in Penſulis cum Sacro Corpore translata eſt, neque ab Incolis tantum, verum etiam ab exteris non uno nomine habetur in pretio. Quod ad picturæ antiquitatem pertinet, ex colorum uſu, pingendi modo, ac perſonarum veſtibus pictores perinde ac viri eruditi tertii decimi ſeculi Chriſtiani opus cenſent. Tres illa partes habet. Mediam occupat Imago *S. Leonis* Sacerdotalibus ornata veſtibus, ætatem maturam, ſed non ſenilem præfert; Corona clericali pro illius more temporis caput ornatur, multo nigroque capillo ſupra frontem, & in girum conferta. Dexterâ Populo benedicit: Siniſtra Evangelii librum ſubſtinet.

Duos utrinque habet laterculos cum octo loculamentis, quatuor nimirum ex parte, quæ totidem exhibent hiſtorias.

In I. loculamento dexteræ partis exprimitur *S. Leo* in Altari divinum Sacrificium offerens. Inſerviens illi Clericus ſuperpelliceo amictus aquam manibus abluendis effundit: quam vaſe exceptam ægrotus ad Altaris gradus à ſuis ſuſtentatus ſpe plenus exſpectat, ut præſens ex illa mali remedium capiat.

In II. *S. Leo* Sacerdotali indutus habitu ad Altare vexatos à Dœmonibus liberat.

In III. è Pulpito idem S. Confessor Evangelium Jesu Christi adstanti Populo nuntiat.

In IV. propè dirutam Urbem *Cliterniam* inter ruinas Monasterii, & Ecclesiæ vepribus, ac stirpibus obsitas equus visitur cum ephippiis, & habenis: quibus ignoto *Sancti Leonis* alligatus Tumulo, eum fortè detigit, submoto operculo. Quo motus spectaculo Dominus, genuflexus orantis ritu hæret.

In V. Vir quidam fortè peregrinus, vel nauta cum plena mantica, inter maria, seu lacus refertos piscibus visitur. In littore Urbs apparet. Ac fortè votum indicatur, quo vovens *S. Leonis* ope potitus est.

In VI. Translatio Corporis ejusdem Sancti Confessoris exhibetur. Plaustrum siquidem à duobus tractum bobus, supra plaustrum verò Urna pyramidalis sacras Reliquias continens, conspicitur. Clerus è ritu albatus præit. Villicus subsequitur baculum gerens.

In VII. Quidam Clericus ab ære Campano quum pulsaretur abactus, è Turri decidit; simul ab eodem ille oppressus, ope *S. Leonis* servatur illæsus.

In VIII. demum *Sanctus Leo* in Ara præcipua, illustrium virtutum, atque spectatæ Sanctitatis merito, à confluentibus Populis religiosa veneratione colitur.

V. *Cliterniam* antiquam Urbem, *Larino* finitimam, tùm Mela in lib. 2. de situ Orbis cap. 4. tùm etiam Plinius in Histor. Naturalibus lib. 3. cap. XI. memorant. Nescio qua veteri Inscriptione moti loci Incolæ, in qua *Cliterninorum Respublica* memoratur, eidem simillimam Romanæ Urbi dignitatem cum Consulibus, Senatoribus, & id genus alios amplissimos Magistratus minus rectè, ac scitè tribuunt: non animadvertentes *Rempublicam* cuique fuisse loco antiquitus, neque dignitatis, atque præstantiæ, sed Communitatis id nomen esse. Hinc quidquid

commu-

commune erat, omnesque publicè attingebat, *Res dici publica*, & appellari consuevit.

VI. Ex ruinis antiquæ Urbis destructæ post casum Romani Imperii à Nationibus Barbaris, qui Italiam non uno malorum genere vexaverunt *Cliternianum* ædificatum est; eodem pœne situ, sed amplitudine, & conditione valde dispari. Hinc caussam discimus, cur *Cliternia* in Itinerario Antonini nomine edito; in Tabula Theodosiana, & apud Anonymum Ravennatem non memoretur. Idem novum oppidum posteriori ævo, Northmannis præcipuè dominantibus in antiquis chartis Monasterii Tremitensis, Episcopatus Larini, & Civitatis Termulensis, non *Cliternianum* modò, sed & *Clitiarnum* quandoque appelletur. Inde corruptiore vocabulo factum vulgò est *Lichiarnum*, & *Lichianum*.

VII. Terræmotuum frequentium magnitudinem, quæ subindè *S. Felicis* Monasterio, & Ecclesiæ ruinam attulisse legitur, perspicuè indicat ejusdem temporis Scriptor, tantæque calamitatis spectator, ac Testis locupletissimus Falco Beneventanus in Chronico, ad annum Christi millesimum centesimum vicesimum quintum: ubi hæc habet pag. 234. editionis curatæ ab eruditissimo Antonio Caracciolo. *Hoc anno, undecima nocte mensis Octobris adveniente, novum, terribileque Beneventi advenit prodigium, & ut audivimus, etiam per Civitates, & Oppida Civitati Beneventane contigua. Nocte siquidem illa nobis omnibus sopori debito incumbentibus, terræmotus subitò factus est inauditus: ita quod universi nos exterriti mortem expectabamus.... Terræmotus verò sic terribiliter accidit, quod Turres, Palatia, & universa Civitatis ædificia concussa tremebant. Terra quoque, & saxa à tanti terræmotus formidine in duas partes scissa sunt. Muri quoque Civitatis, ruentes domos quorumdam terra*

 tenus

tenus prostraverunt ...... Tertio, ut ferebant, & quarto, terræmotum illum accidisse nocte illa affirmabant; Die verò insequuta circa meridiem en adest iterato terræmotus concutiens. Quod, si Lector adesses, oculata fide universa Civitatis ædificia tremere, & palpitare videres .... Mira res, & omnibus inaudita videntibus, quæ nusquam temporibus istis, & à quibus recordari potuerit, sic evidenter accidisset. Nocte siquidem semel terræmotus concussionem advenisse complures memoriæ ducimus, & firmamus; nunc verò die, noctuque sæpissimè ad quindecim usque dies terræmotus tempestas perduravit. Falconis locum ea etiam de caussa hic descripsimus, ut particularium Oppidorum monimentis, quæ ab hujusmodi terræmotibus illata eo anno Frentanis, & Samnitibus detrimenta memorant, lucem, & pondus afferemus; præsertim verò Larinatibus, qui gravissimi, ac latè fusi mali dispendia non minora senserunt.

VIII. Quod ad *Robertum* spectat, cujus pia cura, Translatio Corporis *S. Leonis* facta est, sub idem tempus duo ejusdem nominis occurrunt Loretelli Comites, ad quos illa referri potest. In Cronico Monasterii Beneventani S. Sophiæ vulgato apud Ughellum in Tom. 6. Italiæ Sacræ editionis primæ p. 739. Diploma occurrit, cujus sequens est initium. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi millesimo centesimo, decimo quinto, mense Octobris Indictione* VIII. *Ego Robertus gratia Domini Omnipotentis Jesu Christi Comes Comitum Loritelli Filius bonæ memoriæ Roberti Comitis*. Ejusdem Roberti mentionem ingerit aliud Diploma pro Monasterio S. Mariæ in Insula Tremitis datum *die* 30. *mensis Aprilis*, *anno Dominicæ Incarnationis millesimo*, *centesimo* XXXVI. *Indictione* 14. Quod ibidem apud Canonicos Lateranenses servatur. Vir fuit Religione, ac pia beneficentia notus:

quo

quò nomine tùm de aliis locis sacris, tùm etiam de Cassinensi Cœnobio benemeritus est, ut liquet ex charta Assignationis bonorum factæ à Gyrardo Abbate pro Vestiario Monachorum anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, & Libro IV. Cap. 48. Chronicorum Cassinensium. Ipso fortè Vita functo Roberto, Comitatus Loretelli videtur ad Regem pleno jure, ac ditione rediisse: aut saltem quovis alio nomine, ac caussa proximè rediturus putabatur. Scribit siquidem Alexander Monachus, Cœlestino III. Pontifici Maximo æqualis ætate, in Chronico Monasterii S. Bartholomæi de Carpineto in Comitatu Pinnensi lib. 5. col. 1271. citati Voluminis apud Ughellum, de Rogerio I. utriusque Siciliæ Rege loquens. *Hic autem reliquit Successorem in Regnum filium suum nomine Guillelmum, mandans ei, ut Robertum de Bassavilla filium sororis suæ faceret Comitem Loretelli. Qui paternum mandatum patre mortuo adimplevit.* Rogerius anno ejus seculi LIV. Calendis Martii mortem obiit, ut scribit coævus Author Anonymus Cassinensis eodem anno pag. 140. editionis Caraccioli. De hoc Roberto plura idem Alexander, Joannes Berardi Monachus in Chronico Casauriensi, citatus Anonymus Cassinensis ad annum Domini 1155. & seqq. itemque Fazellus de Rebus Siculis. Vir eruditissimus Antonius Caracciolus in Nomenclatore propriorum nominum, quæ in Chronicis à se editis memorantur, *lit.* R. hunc Robertum eum fuisse censet, cujus mentio est in Regesto Epistolarum S. Gregorii Papæ VII. lib. 2. Ep. 52. Sed Gregorius VII. non poterat hujus Roberti Lorotelli Comitis meminisse, qui integro ferè seculo post floruit: novisque rebus studens in Willelmum Regem arma vertit. Cui potissimum ex duobus hisce Robertis Translatio Corporis *S. Leonis* tribuenda sit, latet, quum ignotus sit annus, quo illa acciderit.

IX. Ob

IX. Ob id verò eum, qui Loretelli ditione potiebatur, *Comitem Comitum* appellatum fuisse puto, quod multos haberet inferioris ordinis Comites, seu Barones, qui intra limites Comitatus Loretelli obtinebant Feuda. Profectò in Regesto Feudali Baronum Regni Siciliæ citra Farum, quod Willemo II. Regnante confectum est, recensitum à Cl. V. Carolo Borrello in Appendice ad Vindicias Neapolitanæ Nobilitatis, inter literarum ab antiquitate repetitarum monimenta, pag. 37. sub titulo. *De Comitatu Loretelli*, undeviginti Barones recensentur, qui totidem in eo possidebant feuda. Loretelli Comitatus dignitatem, & amplitudinem inde etiam licet arguere, quod in bellis decernendis, fœderibusque, & induciis stabiliendis in Neapolitano Regno, qua parte Barones spectabat, non ultimum inter illos locum habuit Comes Loretelli. Falcus Beneventanus in Chronico de Paschale II. Pont. Max. scribens pag. 190. ad annum Christi MCXV. *Apostolicus*, (inquit,) *nono Calendas Septembris Trojam tetendit, ibique Concilium statuit, & firmavit: ad cujus sacri Conventus præsentia ferè omnes Apuliæ Proceres, Archiepiscopi, & Episcopi convenerunt. Conventu itaque sanctè ordinato, inter cætera, quæ ibi composita sunt, Treuge Dei statuta est: adeò quod Comes Jordanus, & Comes de Lauritello, & alii Barones Apuliæ, Sacramento in præsentiarum firmaverunt Treugam Dei, ex tunc, & spatio annorum trium fore tenendam, & custodiendam.* Tanti Comitatus amplitudo in Roberto de Bassavilla videtur extincta: illo enim vita functo, nusquam alteri Loretelli Comitatus cum iisdem juribus, & amplitudine ab Rege concessus legitur.

X. Narrata in hac vita sacri Tumuli detectio, & piè curata à Roberto Corporis *S. Leonis* translatio, expressa etiam visitur in dicta antiqua tabula, quæ olim in Ecclesia

S. Mariæ

S. Mariæ in Penſulis ejudem S. Confeſſoris aram exornabat; nunc autem in Collegiata Eccleſia Oppidi S. Martini ſervatur, & viſitur. Arcæ verò marmoreæ ſub ipſo Altari tunc collocatæ, in qua ipſius Reliquiæ fuere poſitæ, rudi illius temporis charactere ſequens epitaphium inſculptum eſt.

✝ HIC JACET LEONIS CORPUS BEATI CONFESSORIS
NOS PRECE SUA PURGET A CRIMINIS CULPA.

Subinde in eadem Eccleſia præcipuo die feſto, & Officio cum Oratione propria quotannis *S. Leonem* fuiſſe cultum, antiqui Codices membranacei, qui hodieque in ea proſtant, & in hujus voluminis Appendice ſunt deſcripti, dubitare non ſinunt. Multa præterea in Frentanis, & Samnitibus ſunt Altaria, atque Sacella in honorem *S. Leonis* Confeſſoris, & Monachi Deo dicata, qui publicum ipſius cultum, & communem Populorum venerationem augent. In Oppido quoque Caſæcalendæ Diœceſis Larinenſis pervetuſta, & nobilis erat Eccleſia, ejuſdem *S. Leonis* nomine erecta, cum divite Sacerdotio: cujus bona, annuique proventus uniti fuerunt Menſæ Archripresbyterali Eccleſiæ ejuſdem Oppidi. Poſt ipſius ædis ſacræ ruinam conſtanter manſit, modòque viget in eo Oppido cognominata ab antiqua Eccleſia *S. Leonis* vicinia, ut liquet ex actis ſacræ Viſitationis Oppidi Caſæcalendæ, habitæ anno poſt Chriſtum natum quingenteſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum à Belliſario Balduino Epiſcopo Larinatum vigilantiſſimo.

XI. Nuperrimè poſtremis terræmotibus, ac vetuſtate fatiſcente Templo S. Mariæ in Penſulis, tum etiam humiditate ſqualente crypta, ubi Corpus *S. Leonis* ſervabatur, ut decori, atque exactiori ipſius curæ conſuleretur,

de

de eodem in honestiorem locum transferendo actum. Jubente proinde, atque præsente D. Joanne Andrea Tria Larinatum Episcopo, anno labentis seculi vicesimo septimo, die XI. Mensis Novembris, disjectus murus est, quo tumulus claudebatur, simulque Urna marmorea detecta cum antiqua Inscriptione, quam paullò ante recitavimus. Die sequenti post oblatum Deo sacrificium, aperto sepulcro, *S. Leonis* Ossa ex veteri, ac priore lapidea in nova, decentique Urna lignea, præsente, atque spectante universo Oppidi Clero, ardentes faces præferente, itemque Magistratu, & aliis pluribus, collocata fuerunt: sigillisquè munita, in Sacrario pro temporanea custodia piè, ac religiosè deposita. Interea religiosissimus Episcopus, ut creditum sibi Populum, ad sacram functionem dignè, sanćteque peragendam compararet, per Pastoralem Epistolam ad jejunium, Christianas preces, conscientiæ munditiam, & alia pia opera è ritu Catholicæ Ecclesiæ est adhortatus. Mox publica, & solemni supplicatione præmissa, è thalamo decentissimè ornato, Corpus *Sancti Leonis* acceptum sexto nonas majas anni sequentis, pompa longè celeberrima, præsentibus *Alphonso Mariconda* Triventino, *Petro Abundio Battiloro* Guardiensi, & memorato *Joanne Andrea Tria* Larinatum Episcopis, in Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, quæ nunc Oppidi S. Martini Mater, ac princeps est, numeroso Clero aucta translatum fuit: qua de re præcipuus extat libellus à Magistratu Italico sermone scriptus, qui universæ actionis sacræ celebritatem, & seriem edisserit.

XII. In hac Ecclesia sub Ara maxima, solemni ritu Deo dicata, nobiliore parato Tumulo, in eodem sacræ Reliquiæ nova Urna ex ebano eleganter confecta, tabulisque occlusa cryStallinis exceptæ, religiosa pompa sunt collocatæ. In cujus anteriori parte constituta specula,

per

per quam *Sancti Leonis* exuviæ à Christifidelibus adspici possint, ac piè coli, ferreis, auratisque cancellis munita est. Sequens etiam posita fuit Inscriptio, quæ facti memoriam legentibus aperit, ac seræ posteritati exhibet.

D. O. M.
ARAM . HANC
APOSTOLORUM PRINCIPI, JAM DIU DICATAM.
JOANNES ANDREAS TRIA,
EPISCOPUS LARINEN.
SANCTIORI RITU, MAJORIBUSQUE
CÆREMONIIS CONSECRAVIT.
VII. KAL. MAII . MDCCXXVIII.
NE QUID VERO AD SUMMAM RELIGIONEM
DEESSET . TRANSLATIS
AD VI. NONAS EJUSDEM . SOLEMNI POMPA
EX VETUSTA S. MARIÆ IN PENSULIS ÆDE
SACRIS LIPSANIS S. LEONIS CONFESSORIS
PRÆCIPUI HUJUS OPPIDI PATRONI.
HIC QUOQUE, CONDENDA.
ATQUE COLENDA, CURAVIT.

XIII. Alio item nomine ejusdem sacræ Ædis decor, & splendor auctus est. Vigilantissimus siquidem Antistes Tria, suprema Benedicti XIII. Pontificis Maximi potestate fultus, *in insignem Collegiatam* illam erexit. Sacro ipsius Presbyterorum Cætui violaceum Insigne, vulgò *Mozzetta* curavit attribui: eaque omnia, & singula cujus-

vis generis jura, privilegia, honores, ac præeminentias impertiri, quibus Reliquiæ insignes *Ecclesiæ Collegiatæ*, ex jure, vel consuetudine potiuntur, & gaudent. Dato de rebus ipsis præcipuo Diplomate septimo Calendas Majas, anno post Virginis Partum septingentesimo trigesimo supra millesimum. Ne Festa multiplicarentur, eadem die secunda Maii, qua prima Translatio Corporis *S. Leonis* contigit, altera consultò facta est, alias etiam natali ejusdem Sancti Confessoris insigni. Eaque cum pompa, ac piis institutis ab Oppidanis quotannis recolitur, quæ nulli aliorum Sanctorum Patronum in iis Regionibus videtur inferior. Augendæ celebritatis gratia mercatus item agitur: carrisque tractis à bobus in stadio spatioso curritur, Vincenti bravio præposito, quod à splendido Magistratu publica pecunia emitur.

FINIS.

EPI-

EPISTOLA,

ET INSTRUCTIO PASTORALIS

JOHANNIS ANDREÆ TRIA

EPISCOPI LARINATUM,

Pro Solemni Translatione Corporis S. LEONIS
Presbyt., & Confess., facta Anno Dñi MDCCXXVIII.

SECONDA EDIZIONE PIU' CORRETTA.

GIOVANNI ANDREA TRIA

Per la Grazia di Dio, e della Sede Apostolica Vescovo della S. Chiesa di Larino, Prelato Domestico di N. Sig., e del suo Soglio Pontificio Vescovo Assistente, Barone della Terra di Ururi &c.

Al diletto Clero, e Popolo della Città, e Diocesi di Larino.

SALUTE NEL SIGNORE.

I. IL *debito*, *in cui siamo*, Venerabili miei fratelli, diletti miei figli, *il debito*, *in cui siamo del nostro Apostolico ministero*, *e la carità Paterna, con cui unicamente vi amiamo nel Signore*, *sono di continuo stimolo alla nostra Pastorale sollecitudine di non tralasciare occasione veruna*, *colla quale possiamo accrescere il culto Divino*, *ed eccitare la vostra divozione verso il Signore Iddio*, *e suoi Santi*, *che con esso Lui godono co' Spiriti Beati nel Cielo*. *Quindi a' prieghi fervorosi a Noi fatti per parte del Reverendo Clero*, *come pure del Popolo divoto della Terra di San Martino*, *luogo di questa nostra Diocesi*, *abbiamo risoluto fare la solenne Traslazione delle Sagre Reliquie*, *e Corpo del Glorioso* S. Leo *Confessore dell' inclito*

clito Ordine di S. Benedetto, Padrone Principale di essa Terra; li meriti del quale, come intenderete, sono maravigliosi, e divinamente testificati, e molti i Benefizj, che dalla dottrina, e Santità di esso resultarono, non tanto a detta Terra, ed a questa Provincia; ma anche universalmente, e da per tutto: ed oggi, poiche Egli se ne gode in Cielo, viepiù ne risultano, ed in particolare, ed in universale per la sua intercessione presso S. D. M.; posciache con maggior perfezione di sincera Carità, e di ogni virtù, che conviene a' Santi Confessori, e con più calde Orazioni, dà ajuto a' bisogni communi, e particolari.

II. *E premendoci in tale occasione, che resti ognuno informato della qualità di questa sagra azione, e della venerazione dovuta a questi Sagri Depositi, della quale viene considerata, come suo germoglio, ed effetto: acciò tutti con questo mezzo restino maggiormente accesi nella divozione verso de' medesimi, e del nostro Santo Glorioso; stimiamo perciò uffizio del nostro debito Pastorale risvegliare la vostra mente sulla considerazione, che siano stati i Corpi de' Santi vive membra di Gesù Cristo, Tempio dello Spirito Santo; ed in questa maniera rimarrà ognuno a sufficienza imbevuto della Venerazione, che loro si deve, e della solennità dell' istituto delle Sagre Traslazioni. Mentre avendo Cristo Signor Nostro in varj modi ingrandito i suoi Servi, e come dice l' Apostolo,* quos justificavit, hos & magnificavit, *onorandoli specialmente col titolo di suoi Amici,* vos Amici mei estis, *e col dono di tante virtù celesti, e facendoli partecipi, e coeredi del Cielo, s' è degnato anche onorare le loro Reliquie, e Corpi, come sue membra, con miracoli, e benefizj: volendo, che da' Fedeli si dasse loro specialmente quel culto: e quella venerazione, che si dà alli stessi Santi;*

per

per cui la solennità della Traslazione de' loro Corpi, e le loro Sagre Reliquie fu, ed è stata sempre grande in tutta la Chiesa, ed in ogni tempo celebrata con giubilo pubblico, ed apparato Religioso, come un Trionfo delle vittorie, che per Divina Bontà hanno riportato da' communi, e particolari Nemici; tantoche abbiamo nella Chiesa quasi innumerabili esempli di queste sagre azioni, celebrate quasi in ogni tempo, ed in ogni parte del Mondo. Onde fù divinamente istituito farsene ogni Anno celebrità solenne; come da per tutto si osserva. E li Romani Pontefici fino dal principio quasi della Chiesa nascente stabilirono sette Notaj, e tanti Diaconi, che attendessero a scrivere le gesta de' Martiri, quali parimente ebbero cura, e della Sepoltura, e delle loro Traslazioni, cioè che fossero i Corpi sepolti decentemente, e convenevolmente trasferiti da luoghi meno decenti a luoghi più decenti, e celebri: Anzi essi medesimi con proprie mani soleano sepellirli, e li trasferivano. San Cornelio Papa Martire nella maggior persecuzione di que' primi Tempi trasferì i Santissimi Corpi degli Apostoli Pietro, e Paolo; Ed in verità sono pieni di queste sagre azioni le Storie Ecclesiastiche. E quando poi la Chiesa principiò da sì crudeli persecuzioni a stabilirsi nel suo splendore, furono senza dubio illustri, frequenti, e celebri, non solo in Europa, ma anche in Affrica, in Asia le Traslazioni de' Corpi de' Santi, e loro sagre Reliquie; e tra le infinite leggiamo quella di San Babila Martire, di San Giovanbattista Precursore del Signore, de' Santi Martiri Lorenzo, Stefano, Ignazio, ed Agnese, di San Giovanni Crisostomo, dell' Apostolo S. Andrea, di S. Luca Evangelista, del Glorioso S. Timoteo Discepolo di S. Paolo, de' Santi Profeti Zaccaria, Michea, e Samuele. E il grande Arcivescovo di Milano S. Carlo Borromeo

romeo riferisce, oh con quanto apparato fosse stata questa fatta! veramente solenne in ogni cosa, e specialmente in questo, che da Terra Santa, da dove si trasferivano quelle Sagre Reliquie, quasi sino a Costantinopoli da ogni banda, a guisa di sciami di Api, si radunavano, ed uscivano Popoli ad onorarle con lumi, con doni, con oblazioni, e con ogn' altra rimostranza di singolar divozione, e pietà! Chi non legge la già fatta, trà le altre, dal medesimo S. Arcivescovo de' Sagri Corpi di S. Simpliciano, Sisinio, Alessandro, ed altri, stati tutti Arcivescovi di Milano? Chi non istupisce alla già fatta, di S. Gregorio Nazianzeno dal Gran Pontefice Gregorio XIII., che fu lo stupore, non solo di Roma, ma di tutto il Mondo, per dove giunsero le notizie, per la pietà, per la divozione, e per l' apparato? E tali osservarà anche egli le già fatte dal nostro Santo Padre Benedetto Papa XIII., *specialmente nella sua Diocesi, e Provincia di Benevento. Muove senza dubbio a gran pietà la Lettera, che scrisse Pietro Oltradi Arcivescovo di Milano della Traslazione del Corpo di S. Agostino a Carlo Magno. Che pietà fu del Re, che con tanta spesa la procurò? quale studio, e quale sollecitudine santa de' Vescovi della Provincia, che vi concorsero sino a Genova, per accompagnarlo? Che moltitudine grande di Clero? Che concorso infinito di Popolo?*

III. *Ma che accade andare in Asia, in Affrica, o in altra parte del Mondo per rinvenire simili sagre azioni; Basterà riflettere alla già fatta del Corpo istesso del nostro* Santo *dalla Chiesa già distrutta del fu Monistero di* S. Felice *posto nel Territorio dell' Antica Città di Cliternia rovinata da' Barbari, che chiamano Lichiano, non lungi dalla medesima Terra di San Martino alla Chiesa di Santa Maria in Pensulis, dove al presente si venera.*

venera. E veramente si rende inesplicabile la pietà de' Popoli, che concorsero alla solennità di questa sagrazione, autenticata con molti Miracoli: E che non possiamo dire della Traslazione del Corpo del Glorioso San Pardo *già Vescovo nel Poliponese, similmente Patrone principale di questa Città, e sua Diocesi fatta già secoli prima in questa nostra Cattedrale, e poi trasferito ultimamente dalla sua antica Catacomba in una Urna sotto l' Altar maggiore di essa, dove al presente con frequenza di Popoli si venera? senza dubio non possiamo ascoltarne il racconto da coloro, che v' intervennero, senza lagrime, e tenerezza, riflettendo alla letizia, e contento spirituale di questa Città tutta, e sua Diocesi, Baronaggio, e convicini, e molto più della buona memoria di* Monsignore Catalani, *Vescovo di questa Santa Chiesa, e nostro Antecessore, in cui intervennero, oltre quasi tutta la Diocesi, e Clero tanto secolare, che Regolare, molti altri Prelati con innumerabile concorso di Forastieri.*

IV. *Sono questi*, Venerabili miei Fratelli, Diletti miei Figli, *sono questi, replichiamo, pegni della Divina Bontà, lumi singolari della Misericordia del Signore Iddio verso Noi. Furono vive membra di Gesù Cristo, Templo dello Spirito Santo, che meritano ogni Venerazione, ogni culto, per cui molto viene S. D. M. glorificata in essi, molto Gesù Cristo si compiace in Loro, lasciati in questo Mondo per nostri difensori, in nostro ajuto: e come scrive S. Basilio, sono questi Torri, anzi Fortezze, e Presidj fermissimi delle Città, e Provincie, dove si venerano*: sunt equidem Sacræ Reliquiæ, quasi Turres, & propugnacula, fortissimaque tàm Civitatum, quàm Provinciarum, ubi habentur, præsidia: *E S. Ambrogio vedendo cessare il furore degli Ariani,*

ni, che cercavano prenderlo, e che desistevano dall' eresie per i gran miracoli delle Sagre Reliquie; quasi santamente gloriandosi solea dire, che avea le Sagre Reliquie per suoi difensori: Ariani ipsum Divum Ambrosium cùm vellent invadere, Sacrarum Reliquiarum miraculo conversi, ab incepto destiterunt, indequè Arianorum furor cæpit in dies minui, ità ut idem Pastor sibi piè gloriando, hoc in Symbolum sibi vindicans, dixerit, tales ambio Defensores. *E sarà sufficiente testimonio quel Pietro Rè di Aragona, che scrivendo a Sanzio Rè di Castiglia la crudelissima strage di quaranta mila Uomini, e più di trenta quattro mila Cavalli dell' esercito di Filippo Rè di Francia, gli attestò, dicendo, non fosse questo seguito per mezzo di altri Ministri, che delle morsicature di una moltitudine di Mosche, uscite dal Corpo di S. Narciso nel tempo stesso, che l' esercito Francese suo nemico devastava irriverentemente il sepolcro, in cui quello si conservava, nella celebre battaglia di Girona, di cui era Padrone, e Protettore il medesimo Santo.*

V. *E saressimo troppo diffusi, se in questo gran campo volessimo discorrere, raccontando gli ajuti spirituali, e temporali, che ora, e sempre hanno avuto, ed hanno i Regni, le Provincie, le Città, i luoghi, e Popoli, i quali mercè la Bontà di Dio, si sono fortificati di così fermi Presidj. Chiarissima cosa è, che le Città, e le Provincie si sono preservate da calamità infinite per le Ceneri, Sepolcri, e Reliqnie de' Santi, le quali hanno essi avuto, e custodito religiosamente. L' Egitto per il Sepolcro di Geremia Profeta restò libero da' Serpi orrendi, che l' infestavano. E potremmo dire di molti altri Paesi, li quali per questa Grazia Divina, che hanno avuto di conservare piamente i Corpi gloriosi, e Reliquie de' Santi,*

hanno

hanno ne' loro bisogni , e pressure ricevuto insieme soccorsi , e sollievi maravigliosi : trà gli altri senza dubio si potrebbero comporre Tomi intieri , se volessimo diffonderci , rammentando le Grazie ottenute , e che di continuo si ottengono per le Sacre Reliquie , che si venerano in Roma , la quale si è mantenuta sin dalla stessa Chiesa nascente , e si mantiene presentemente capo del mondo a dispetto di tante persecuzioni . E che potrebbe dirsi di quelle , che veneriamo in questo nostro Regno ; e specialmente del Glorioso S. Nicolò Arcivescovo di Mira , in Bari , che tengono in moto tutto il mondo per il continuo concorso de' Popoli , che si conducono a venerarle? E che altro del Sangue del Glorioso S. Gennaro , Padrone principale della Città , e Regno , quale trà le altre Grazie vien dato a Noi , come lingua dello Spirito Santo , che ci annunzia i felici avvenimenti per rallegrarci , e gli infelici per emendarci ? Ma tralasciando le Provincie lontane , e le Città straniere ; innumerabili sono le Grazie ottenute in questa nostra Diocesi a prieghi di que' Santi , i Sacri Depositi , e Reliquie , de' quali in essa veneriamo , e specialmente del Glorioso S. Pardo Padrone principale di questa Città , e sua Diocesi , come del nostro Glorioso S. Leone Confessore , similmente Padrone principale della Terra di S. Martino ; le quali tralasciamo riferire , per non essere troppo prolissi , e come fatti ben noti in essa Diocesi , e per dentro , e fuori questa Provincia . Con che mi conviene innalzar voci di giubilo col mentovato S. Carlo Borromeo : Felici que' Popoli , che hanno questi Sagri Presidi : Beate quelle Provincie , che hanno questi pegni della Carità , e che insieme sanno religiosamente tenere , e conservare : Felices Populi securis adeò donati Præsidiis : Felices Provinciæ , quæ tantis charitatis Pignoribus munimini , & apud quas Re-

ligioso adeò cultu asservatur: *E possiamo dire, Felici anche noi, Felice questa Città, e sua Diocesi arrichita di gran numero di Sagre Reliquie, che si conservano, e si venerano quasi in tutte le Terre, e luoghi di essa, e specialmente per il Corpo, che veneriamo in questa Città del Glorioso* S. Pardo, *e per quello di* S. Leone *in San Martino, li quali come due fortissimi Campioni hanno sempre esse difeso, e difendono; ed alla Intercessione de' medesimi per la infinità de' Miracoli, che si vedono alla giornata, frequentemente sono ricorsi, e ricorrono anche da' Paesi lontani.*

